Digitized by Google

Digitized by Google

Apologeticus
ADAMI TANNERI
SOCIETATIS IESV
Theologi.

ADVERSVS CALVMNIAS, MENDACIA, CÆTERAQVE ERRATA, QVIBVS Ægidius Hunnius, Prædicans VVittebergenſis, ſuum Examen Præfationis, Colloquio Ratiſbonenſi Monachij recuſo præfixæ, exornare voluit.

IN QVO PRÆTER CÆTERA, FIRMISSIMIS ARGVMENTIS ASSERITVR quoque indelebilis illa ignominiæ nota, quam Aduerſarij ſibimetipſis inuſſerunt, dum commune diſputationis Protocollum in præcipuo totius controuerſiæ puncto turpiſſimè corruperunt.

ACCESSIT IN FINE

CATALOGVS CENTVM ABSVRDITATVM, ſupra illas quinquaginta in præfatione notatas, quas in eodem Colloquio Ratiſbonenſi Anni M. D C. I. commiſerunt Prædicantes.



MONACHII EX TYPOGRAPHIA
Nicolai Henrici,

ANNO M. D CIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FERDINANDO SENIORI, COMITI PALATINO RHENI, vtriuſque Bauariæ Duci, &c.

ADAMVS TANNER SOCIETATIS IESV, GRATIAM ET fœlicitatem à DEO precatur.

ANNVS eſt, eoq; amplius, Sereniſſime Princeps, cum finita Ratisbonenſi diſputatione, eadem ferme de re eminus, catholicos inter ac hæreticos, diſceptari cœptum eſt, de qua cominus antea fuerat depugnatum. Et quia peruerſis hæreticorum machinationibus deijciendis, nullum erat telum aptius, ipſomet authentico actorum eius colloquij Protocollo; idcirco autoritate ac voluntate Ser.mi Cognati Ser.tis V.ræ Maximiliani, utriuſq; Bauariæ Ducis, illud etiã cũprimis, quaſi quodam præfationis neruo vibratum, ac in aduerſarios validè contortum eſt. Et verò ſenſerunt ictum aduerſarij. Mox enim Neoburgenſes prædi-

cantes, quaſi agmine facto, ſuo & ſuorũ Collegarum, qui colloquio interfuerũt, nomine; Protocollo ſuo Lauingano appendicem præpoſteram addi curarunt, quo velut ſcuto impactum telum exciperent, ac ſi fieri poſſet, etiam in aduerſarios retorquerent. Sed obſiſtebant Catholici, & mox eadem Ser.mi Ducis autoritate, altera editione Protocolli Monacenſibus typis in lucem data, eam ipſam appendicem, quam in ſui [illegible] argumentũ obiecerant aduerſarij, auctiore [illegible]ræfatione non ſine graui eorum dolore ita cõminuerunt, ut Neuburgenſes illi quaſi totis caſtris exuti opus haberẽt, nouum ſuæ cauſæ præſidium aliunde conquirere. Adeſt igitur Ægidius Hunnius Prædicans VVitebergenſis tantò cæteris impudentior, quantò ſuo quidem judicio ſapientior, & jam dudum ſibi conſuetis armis, mendacijs nimirum & calumnijs in illam Catholicorum auctiorem præfationem graſſatur, totus furore plenus, & prout autor nõ ignobilis hominem ira æſtuantẽ deſcribit, *ſibilo, mugituq́ꝫ, & gemitu, & ſtridore, & ſi qua his inuiſi-*

Senec. lib. 2. de ira cap. 35.

or vox eſt, perſtrepens, tela manu vtraq; quatiens (utpote *cui ſe tegere nulla cura eſt*) *toruus, cruentusq́; & cicatricoſus, & verberibus ſuis liuidus, &c. omniũ odio laborans, ſui maximè: Si aliter nocere non poßit, terras, maria, cœlũ ruere cupiens, infeſtus pariter inuiſusq́;.*

Quia vero nonnullis *viſum eſt*, eodem Philoſopho teſte, *quibusdam iratis profuiſſe aſpexiſſe ſpeculum*, idcirco Apologeticũ hũc quaſi ſpeculi loco ei obijciendum putaui, in quo male ſanus Prædicans interiorem animi ſui vultum, quem in ſuo præfationis illius examine non obſcurè præ ſe tulit, contueretur, mendacijs, calumniis, inſcitia, impudentia horribiliter deformatũ: num hinc fortè ſui tandem ipſe pertæſus, animum ac mentem in meliorem formam tranſmutare diſcat. Certè mihi quidẽ, Ser.^me Princeps, in meis contra eum ſcriptis alia mens non eſt, quam ſic illum ſuis coloribus repræſentare, ut vel ſibi etiam ipſe diſpliceat, vel certè ſibi ſoli placeat, cæteris ita inuiſus, ut eius malo nemo bonus pereat. Hoc autem quidquid

eſt lucubrationis meæ, Ser.ti V.ræ velut debiti obſequij monumentum, humillimè offero atq; conſecro. Decebat enim, ut qui priores duas lucubrationes, ipſam potiſſimum hiſtoriam peractæ diſputationis concernentes, ijs qui velut oculati teſtes veritatis colloquio præſentes interfuêre, sereniſſimis cognatis, Ser.tis V.ræ Maximiliano atq; Alberto inſcripſeram, jam nūc Apologeticum hūc, pro rebus extra colloquium geſtis ſcriptū, Ser.ti V.ræ conſecrarem, non minus Catholicæ veritatis ſtudio (quod ejus heroica facta jam pridem conſpicuum reddiderunt) quā ſanguinis ac amoris vinculo vtriſq; illis cōjūctiſſimæ. Nec dubito, quin hoc quantumuis leuidenſe munuſculum vel eo ipſo nomine Ser.ti V.ræ futurum ſit gratum, quòd Prædicantibus hæreticis non poterit non eſſe exoſum. Deus Opt Max. Ser.tem V.am ſoſpitem ac incolumem, mihiq; & ſocietati noſtræ clemētiſſima beneuolentia addictam, quam diutiſſimè conſeruet. Monachij. Cal. Februarij Anno Dn.

M. DCIII.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

MEminiſti adhuc, nî fallor, amice lector, quantis clamoribus, poſt habitum ſuperiore anno colloquiũ Ratisbonenſe, lætum ubiq; pæana inſonare viſi ſint Prædicantes, quanta geſticulatione, hanc quaſi fabulam, reportatæ ſcilicet victoriæ indicem, publicè ac priuatim egerint. Tacebant ferè interim Catholici, ſiue pro conſueta modeſtia, ſiue pro ea, quam eis cauſæ bonitas ſuggerebat, confidentia, ſiue etiam certo & bene librato conſilio: ut quò nimirum, tali conniuentia ſuadente, vanitas aduerſariorum longius progrederetur, ſeq; inſolentius quaſi abſq; freno jactaret, eò & authoribus ipſis maius probrum, & ſibi celeriorem interitum ipſa conciliaret. Et ſanè commodè ceſſit hoc conſilium. Eò enim uſq; prouecta eſt inter Pſeudoeuangelicos fingendi ac mentiendi libido, ut Ægidius Hunnius Prædicans VVittenbergenſis, non poſtremus

mus alioqui tam infamis inſolentiæ incentor, ipſemet ei frænum inijcere, & velut excitato à ſe incendio frigidam affundere opus habuerit: dum videlicet, vt etiam alias referre me commemini, & in perpetuam ignominiam Prædicantium ſæpius repetendum eſt, in ſua relatione, quam de colloquio conſcripſit, germanicum aliquod ſcriptũ, Pſeudoeuangelicorum opera, de colloquio publicis typis Magdeburgi editum, tanquam cum hiſtorica veritate non conſentiens, damnandum cenſuit.

Præfat. Exam. Hun. Relat.

Poſtea verò cũ Catholici ſatis & à ſe ſilẽtio, & à Prædicantibus vanæ loquacitati indultum rati, tam calamo, quam lingua eiuſmodi vanitatis fumum diſpellendum ſuſcepiſſent, edito in hũc finem, authoritate sereniſſimi Bauariæ Ducis Maximiliani, ipſomet authentico actorum ejus diſputationis Protocollo, cũ præfatione: deinde ſeorſim etiam typis perſcripta compendiaria relatione, qua totius colloquij geſta, juxta protocolli fidem, ſummatim ob legentium oculos ponerentur, vt alia multa à

Catho-

Digitized by Google

Catholicis ad detegendam, & pudefaciendam Prædicantium vanitatem edita taceam, mirum, quam breui temporis ſpacio, vana illa & veſana Aduerſariorum jactantia compreſſa fuerit, ita vt vel omnino non eſſet, vel certè riſui eſſet ijs, qui noſtrorum ſcripta legiſſent.

Jam verò poſtquam diſtractis primæ editionis exemplaribus, tam Relatio illa, quam Protocollū prolixiore præfatione auctius (cujus augmenti cauſam præbuit Prædicantium Neoburgenſium appendix, quam viſa Monacenſi præfatione, ſuo protocollo aſſuerunt) ex prælo Monacenſi prodijt, ecce jam non modo nulla lætitia geſtiens progreditur Hunnius, ſed verſa in luctum cythara, *totus dolore ac furore æſtuat, & velut rabidus canis, nullo perſonarū reſpectu habito, obuios quosq; inuadit, vbiq; calumnias, mendacia, falſi crimina ingeminat; atq; in ipſum quoq; ſereniſſimū Principē Maximilianum, vtriusq; Bauariæ Ducem, ejusmodi criminationum ſuarum aculeos figere non veretur; quaſi videlicet præfatio, e-* Iob. 3.

mus alioqui tam infamis inſolentiæ incentor, ipſemet ei frænum inijcere, & velut excitato à ſe incendio frigidam affundere opus habuerit: dum videlicet, vt etiam alias referre me commemini, & in perpetuam ignominiam Prædicantium ſæpius repetendum eſt, in ſua relatione, quam de colloquio conſcripſit, germanicum aliquod ſcriptũ, Pſeudoeuangelicorum opera, de colloquio publicis typis Magdeburgi editum, tanquam cum hiſtorica veritate non conſentiens, damnandum cenſuit.

Præfat. Exam. Hun. Relat.

Poſtea verò cũ Catholici ſatis & à ſe ſilẽtio, & à Prædicantibus vanæ loquacitati indultum rati, tam calamo, quam lingua eiuſmodi vanitatis fumum diſpellendum ſuſcepiſſent, edito in hũc finem, authoritate ſereniſsimi Bauariæ Ducis Maximiliani, ipſomet authentico actorum ejus diſputationis Protocollo, cũ præfatione: deinde ſeorſim etiam typis perſcripta compendiaria relatione, qua totius colloquij geſta, juxta protocolli fidem, ſummatim ob legentium oculos ponerentur, vt alia multa à Catho-

Catholicis ad detegendam, & pudefaciendam Prædicantium vanitatem edita taceam, mirum, quam breui temporis ſpacio, vana illa & veſana Aduerſariorum jactantia compreſſa fuerit, ita vt vel omnino non eſſet, vel certè riſui eſſet ijs, qui noſtrorum ſcripta legiſſent.

Jam verò poſtquam diſtractis primæ editionis exemplaribus, tam Relatio illa, quam Protocollũ prolixiore præfatione auctius (cujus augmenti cauſam præbuit Prædicantium Neoburgenſium appendix, quam viſa Monacenſi præfatione, ſuo protocollo aſſuerunt) ex prælo Monacenſi prodijt, ecce jam non modo nulla lætitia geſtiens progreditur Hunnius, ſed verſa in luctum cythara, *totus dolore ac furore æſtuat, & velut rabidus canis, nullo perſonarũ reſpectu habito, obuios quosq; inuadit, ubiq; calumnias, mendacia, falſi crimina ingeminat; atq; in ipſum quoq; ſereniſſimũ Principẽ Maximilianum, vtriusq; Bauariæ Ducem, ejusmodi criminationum ſuarum aculeos figere non veretur; quaſi videlicet præfatio, e-* Iob. 3.

jus authoritate Protocollo annexa, qua ſe Prædicantes nimis quam ictos ſentiunt, & Bauarico Protocollo ignominioſam labē aſperſerit, & Sereniſſimi Principis laudatiſſimū nomē ei editioni in titulo pfixum inſigni contumelia affecerit. *Hic nēpe prædicātici gaudij, & vaniſſimæ jactationis finis eſt, per quā belle reſpondens ei, quod de impiorum gaudio veriſſimè pronunciauit Salomon:* Extrema gaudii

Prouerb. 14. luctus occupat.

Neq; verò pfationē illā, etſi conſultò nullius authoris nomine prænotatā, aliis quā Jeſuitis; neq; in his vlli, quam Tannero (quem ſcilicet in corde ſemp habet Prædicās) tribuendam exiſtimauit, tā parū ſe in hoc judicio falli ratus, quā temerè & falsò de re ſibi penitus ignota indicauit. Sed quidquid ſit de hac temeritate Hunnij, quæ illi inter cætera errata à me facilè condonatur, præfatio certè, tanta Principis autoritate munita, talis non eſt, quæ authoris nomen reſpuat, aut ullum calumniatorem timeat. Jmo verò quando ſic libuit Hunnio, in

me

me quaſi præfationis illius authorem, linguam ſuam maledicam ſtringere, ne fruſtra calumniatorem egerit, ſuſcipio eius patrocinium libens, non quidem vlla publica Sereniſſimi Bauariæ Ducis Maximiliani authoritate, ſed ſola mea voluntate, & veritatis tuendæ ſtudio. Jpſi verò Sereniſſimo Bauariæ Duci, quem etiam venenato morſu laceſſere veritus non eſt infamis Prædicans, vt in tali cauſa defenſione vlla opus non eſt, ita alia defenſionis ratio longè efficacior ſuppetit, cuius cogitatio merito cohibere debebat Prædicantis furorem, vt contentus præfationem ipſam oppugnare, à tãto Principe maledicentiæ ſuæ aculeos abſtineret.

Certè quidẽ in poſterũ me ſuaſore tutius in Jeſuitas, ſi ita volet, graſſari poterit Hunnius. quanquam ex hac ipſa calumniandi impunitate, quid tandem niſi pudorem, aut impudentiam conſequitur Prædicans? Jd quidem certè ſatis hactenus ſuo malo expertus eſt. Quæ ergo tandem vis *(vt cũ S. Auguſtino lo-*

Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 1.

quar) niſi cæcitas & vanitas animi cogit hominem *(Hunnium)* clauſis, vt dicitur, oculis tanquam in alterum jacere, quod cum in eum jecerit, continuò redeat, eumq; ictu reciproco affligat, intacto illo, quem vulnerare voluerat. *Nos quidem certè, vt alio loco de ſe ſcripſit Auguſtinus*, cum falſa crimina audimus, ab eis, quos offendimus, prædicando eloquia veritatis, & erroris vaniloquia conuincendo, habemus abundantiſſimam conſolationem. *Neq; verò ſine ratione hoc Auguſtinus.* Nam ſi eis, *inquit*, quibus me criminantur, teſtimonium conſcientiæ meæ non ſtat contra me, in conſpectu Dei, quo nullus oculus mortalis intenditur, non ſolum cõtriſtari nõ debeo, verum etiam gaudere & exultare, quia merces mea multa eſt in cœlis. Neque enim intuendum eſt, quam ſit amarum, ſed quam falſum eſt, quod audio, & quam verax, pro cuius nomine hæc audio, & cui dicitur, vnguentum effuſum eſt nomen tuum. Et merito fragrat *(Chriſti nomen)* in omnibus gentibus, cuius odo-

Auguſt. lib. 3. con. lit. Petil.

Cant. 1.

rem

rem iſti, qui nobis maledicūt, in vna Africæ *(Germaniæ)* particula conantur includere. Cur itaque feramus indignè, quod nos infamāt, qui gloriæ Chriſti ſic detrahunt, quorum parti contentionique inimicum eſt, quod de illius ad cœlos aſcenſione *(quē Vbiquiſtæ noſtri in terris immobiliter retinere conantur)* & de nominis ejus tanquam vnguenti effuſione *(per vniuerſum orbem)* tanto ante prædictum eſt: Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua. *Jta Auguſtinus olim Donatiſtis, nos Lutheranis calumniatoribus.*

Sed quid ego Hunnio modeſtiam ſuadeo, quando tam diſſoluta, & immoderata calumniandi libido nobis potius in aduerſariis noſtris, niſi peccati ratio obſiſteret, exoptanda foret? Cum ex nulla re alia certior interitus hoſti immineat, quam cum nimis intemperanti victoriæ cupiditate, temerè ſeipſum in Aduerſariorum tela conijcit. Hoc ſanè veriſſimum eſſe, lector vel ex hac refutatione Hunniani examinis, circa præfationem illam poſteriorem Pro-

tocolli Bauarici ab Hunnio inſtituti, comperiet: quam ſic inſtituere mihi viſum eſt, vt inprimis textum præfationis in certa capita diſtributum integrè ponerem, deinde partim ineptas, partim mendaces, & calumnioſas Hunnij annotationes & referrem, & refellerem, eo breuitatis ſtudio, quod tamẽ circa rerum ipſarum tractationem, quæ momentum aliquod haberent, nimium fortaſſè alicui potius, quàm modicum videri poſſit.

Ne verò Hunnius ob abſurda illa Prædicantium quinquaginta, in præfatione notata, fruſtra nobis tantopere ſuccenſuiſſe videretur, neue eius induſtriæ, qua in abſurdis ſuis, ſuique collegæ purgandis & mundandis, adeò ſtrenuum laboratorem ſe præbuit, materiam benè de ſe, ſuisq́ꝫ Symmyſtis merendi deeſſe pateremur, idcirco, velut appendicis loco, nouum ei catalogum centum aliorum Abſurdorum Prædicãticorum, ſimiliter in colloquio commiſſorum, exhibere volui, non eo quidem ſtudio, vt nullum prætermitterem, & velut ex Augiæ ſtabulo.

lo ſordes omnes Prædicãticas colligerem: ſed vt lector ex his, donec plura colligantur, cætera inquirere & æſtimare diſcat. Deprehendet profecto in ijs Prædicantium complura falſi crimina, quibus non in homines modo, ſed in Deũ ipſum, & ſacræ ſcripturæ authorem, ſpiritum ſanctum, adeò contumelioſi fuerunt, vt non modo ſcripturam ſacram in alienos ſenſus turpiſſimè rapere, ſed etiam textum ipſum ſubinde corrumpere auſi fuerint. Illud autem pudendum falſi crimen, quo Prædicantes in protocollo pro voce Traditam, *ſuppoſuerunt vocem* Deſcriptam, *firmiſſimis argumentis in Prædicantium jugulum adactum, euidenterq́; comprobatum inueniet lector cap. 12.*

Quæ omnia ſic leget, vt etiam inſpecto protocollo (in cujus paginis citandis Monacenſem editionem poſteriorem ſecutus ſum) judicet, & quid de Prædicantibus iſtis, eorumque præterita jactatione, & tota eorum ſcribendi, & docendi ratione ſtatuere velit, ſeriò expendat.

IN-

INDEX CAPITUM.

CAPVT I.

De Protocolli tam Monacenſis, quàm Lauingani editione ac fide.

CAPVT II.

De querela Hunnij contra Relationem Tanneri de Colloquio, atq; de inſolito & inordinato modo diſputandi Prædicantium.

CAPVT III.

De dictatione ad calamum Prædicantibus in colloquio conſueta, atq; de Eccleſiaſticæ hierarchiæ ratione, tū ex Catholicorum, tum ex aduerſariorum ſententia.

CAPVT IV.

De forma Dialectica à Prædicantibus inter diſputandum neglecta, eorundemq; variis digreſſionibus.

CAPVT V.

De Catholici nomine, quibus competat: & an illud Lutherus jure ex ſymbolo germanico Apoſtolorum exterminarit.

CAPVT VI.

De prima decade Abſurdorum, quæ Prædicantibus in Præfatione tribuuntur.

CAPVT VII.

De ſecunda decade abſurditatum Prædicanticarum, in præfatione notatarum.

CAPVT VIII.

De tertia decade abſurditatum, quæ Prædicantibus in præfatione obijciuntur.

CAPVT IX

Digitized by Google

CAPVT IX.

De quarta decade abſurdorum Prædicantibus in præfatione objectorum.

CAPVT X.

De ſeptem abſurdis Prædicantium quintæ decadis, in præfatione notatis.

CAPVT XI.

De quintæ decadis octauo & nono abſurdo Prædicantium: quòd nimirum vi veritatis coacti ſuas theſes in Colloquio propria confeſſione eliſerunt.

CAPVT XII.

De vltimo abſurdo Prædicantium in præfatione notato. Vbi euidentibus argumentis demonſtratur, Prædicantes, eorumuè adjutores, per turpiſſimum falſi crimen, pro voce TRADITAM, *in Protocollo ſuppoſuiſſe vocem* DESCRIPTAM.

CAPVT XIII.

De octoginta ſex aliis abſurdis Hunnij, collectis ex iis, quæ ipſe velut abſurda in ſuo examine præfationis Catholicis impingere fruſtra tentauerat.

CAPVT XIV.

De centum aliis abſurdis Prædicantium, in colloquio commiſſis; at in Præfatione Monacenſi non annotatis.

FACVLTAS R. P.

PROVINCIALIS SOCIETATIS Ieſu, per ſuperiorem Germaniam.

Apologeticum hunc contra Hunniani Examinis calumnias conſcriptum à P. Adamo Tannero ſocietatis noſtræ Theologo, & à quatuor patribus itidem Theologis lectũ & probatum, ego GREGORIVS ROSEFFIVS, Societatis Ieſu per ſuperiorem Germaniã, Præpoſitus prouincialis, poteſtate mihi ab admodum R. P. N. Præpoſito Generali P. CLAVDIO AQVAVIVA facta, typis mandari permitto. In cuius rei fidem hoc autori teſtimonium manu noſtra ſubſcriptũ, ac ſigillo munitum dare volui. Dilingæ 25. Ianuarij, Anno M. DCIII.

GREGORIVS ROSEFFIVS,
Prouincialis, &c.

REFV-

Digitized by Google

REFVTATIO MENDACIORVM ET CALVMNIARVM, QVAS CONTRA PRÆfationem Protocolli Monacenſis, editionis poſterioris, temere effutiuit Ægidius Hunnius, Prædicans VVitenbergenſis.

CAPVT I.

DE PROTOCOLLI TAM Monacenſis, quam Lauingani editione ac fide.

Textus præfationis.

HABES, Chriſtiane lector, Acta colloquii Ratisbonẽſis, non ita pridem inter Catholicos & confeſſionis Auguſtanæ Profeſſores, inſtituti; quod in publicum eo præcipue conſilio, altera jam editione, datur, vt ſparſas ab aduerſariis vbiq; locorum calumnias diluat, & veritati, contra tot, & tam varia figmenta paſſim euulgata, patrocinetur. Acceſſit inſuper hæc recens occaſio: quod Prædicantes Neoburgenſes, ſuo & ſuorum collegarum, qui colloquio huic interfuerunt, nomine, *accepta priore Monacenſis Protocolli præfatione (cum qua, eodem curſore Mercurio, eadem opera, ex*

Digitized by Google

eodem Nundinarum loco, facile ipſam quoq; Protocollum accipere poterant) cum jam eorum quoq; Protocollum, NON TAM ut ipſimet ingenuè confitentur, CITRA OMNEM ADDITIONEM, aut DIMINVTIONEM, quàm abſq; vlla præfatione ex officina Typographica Lauingana in apertam lucem prodiret, aliquem etiam ei ſeu prologum, ſeu epilogum attexuerunt, quo præfationem illam prioris editionis Monacenſis, & ipſos quoq; Catholicos colloquutores perſtringunt. Quibus omnino, & huius Protocolli iterata editione, & hac auctiore præfatione, vt ſpes eſt, cumulatè ſatisfiet. Antequam vero ad hæc acta euoluenda, Lector, accedas, de nonnullis capitibus te admonitum oportet. Quorum PRIMVM eſt; Omnia hæc bona fide ex Protocollo, vt vocāt, ſubſcriptionibus eorum, qui ad hoc munus deputati fuerant, confirmato, expreſſa & publicata eſſe, ne litera quidem immutata, niſi vbi vel cæco manifeſtum erat, librarii lapſum eſſe, resq; ſenſum alioqui nihil prorſus attinebat: quanquam & hîc calamo nimis indultum non eſt, cum ſatius eſſe videretur, errata quātumuis perſpicua retinere, quàm vel minimam fraudis, fideiq; violatæ ſuſpicionem ſubire. Ad oram tamen libri, vox, quam contextus ratio poſtulabat, interdum adſcripta eſt, addito aſteriſco: quod ſignum in ipſa quoq; orationis junctura ſubinde appoſitum eſt, ſi quando vox correctionis indiga occurrebat. Errores autem Typographicos in fine libri correctos inuenies.

Et certè non immeritò par in Aduerſariis fides & diligentia deſiderari poteſt. Iam verò quod quædam loca ſuæ cauſæ parum decora, tam licentèr, in ipſo contextu ſui Protocolli, ſine ulla admonitionis nota, correxerunt, id eorum cauſam, apud æquos rerum æſtimatores parum profectò exornabit. Exempla hæc duo notaſſe, hoc loco, ſuffecerit. In Teſtimoniis, quæ ex SS. Patribus aduerſarij corraſerant, claſſe 2. quæ eſt de perfectione S. ſcripturæ, teſtimonio 2.

S. Ire-

Digitized by Google

S. Irenæi lib. 4. cap. 45. quod habetur infra pag. 161. Aduerſarij ſcripſerant, itáq́; ſcriptum tradiderant Catholicis Collocutoribus; Eam, quæ ex ſcripturis eſſet PROBATIONEM, *&c. Quia vero Catholici collocutores, in ſua ad eum Irenæi locum reſponſione, quæ Protocollo inſerta eſt pag. 190. peruerſam hanc Aduerſariorum allegationem taxarunt, cum apud Irenæum legatur,* CORREPTIONEM, *quæ vox, vt ibidem oſtenſum eſt, aduerſariorum cauſam nil penitus juuat, juuandam aliquo modo, ſi legeretur,* PROBATIONEM; *ipſi in ſuo Protocollo, pag. 228. ſine vlla præfationis aut correctionis nota, turpem illum errorem in ipſo contextu emendarunt, & pro voce* PROBATIONEM, *vt in hoc Protocollo legitur, ſcripſerunt* CORREPTIONEM.

Alterum exemplum hoc eſto. In tertia claſſe teſtimoniorum pagina 164. ad probandam perſpicuitatem S. Scripturæ profertur ab aduerſariis teſtimonium Lactätii de falſa Relig. lib. 1. cap. 1. In diuina illa ſapientia, omnia DICTA prona ſunt, auditu ſuauia, facilia intellectu. *Sed cum à Catholicis (vt videre eſt pag. 194.) reſponſum eſſet:* Lactantium *illic non loqui de ſcripturis, ſed generatim de doctrina* diuinæ ſapientiæ, in qua omnia, inquit, DICTV prona ſunt, &c. aduerſarios autem, vt hunc locum contorquerent ad ſcripturas, pro DICTV male ſcripſiſſe DICTA, *ipſi iam in editione ſui Protocolli, etiam huic malo remedium afferre cupientes, ſuppoſuerunt* DICTV, *artificioſè planè: ſed quo artificio nemo magis, quã artifices ipſi lædantur. Rectius ſane feciſſent Prædicantes, ſi (vt aliàs fecerunt) collocutoribus Catholicis priuatim ſupplicaſſent, vt eis hunc errorem condonarent. Forſitan parem, vt antea, liberalitatem fuiſſent experti. Iam quando ſuo arbitrio, errores eiuſmodi, à Catholicis in ipſo Protocollo taxatos, emendarunt, non facile cuiuſquam æqui iudicis cenſuram euadent.*

APOLOGIA.

Calum. Hunn. Exam.

PROTOCOLLVM à nobis editum eſſe, fingit Prædicans, ne alioqui *victos nos agnoſcere videremur*. Ego vero ingenuè fateor, calumniis & mendaciis Prædicantium retundendis nullum efficacius remediũ Catholicis ſuppetere potuiſſe, quàm Protocolli editionem, quàm ſi non liberè & libenter dediſſent, iteratam certè, tantoq; exemplarium numero multiplicatam, non dediſſent, vt plane hinc appareat, ſplẽdidum eſſe mendacium, quod cum hic, tum alibi Prædicantes identidem ingerunt, nos Protocollum refugere, aut eius editionem reformidare, &c. Imo noris Hunni, iam vltima editione, ad tria millia exemplarium Monachii procuſa eſſe, & ex iis quædam etiamnum apud Bibliopolam venalia extare, ex quibus tibi plura, ſi voles coëmere licebit.

Mend. Hunn.

Sed bilem Prædicanti mouet mea Relatio, atque adiecta Protocollo præfatio, quam, ut vix vna cum Protocollo in Francofortenſe emporium illata eſſet, mox ad Neoburgenſes etiam ſine Protocollo, per proprium curſorem aut veredarium transmiſſam eſſe, certo nuncio accepimus. Neq; modo in præfationẽ ipſam malè affectus eſt Prædicans, ſed eius cauſa, Ieſuitas etiam, vt quos illius authores putat, tantum non diris deuouet: malè quidẽ eis certe ominatur; *Non dubito*, inquit, *ſi optimus* (Bauariæ) *Princeps, de tanta nomini ſuo facta cõtumelia edoceri poſſet, nec ei diabolicis artibus Suitarum* (adeo nos ſẽper honorifice compellat Prædicans) *omnes ad ſcriptorum noſtrorum notitiam, liberamq; lectionem aditus intercluſi forent, quin cognita illorum extrema perfidia, idem eis præmium daturus eſſet, quod Galliarum Rex Henricus quartus adulteræ huic nationi antiIeſuiticæ pridem dedit*.

Calum. Hunn. Exam.

Sed vide, mi Hunni, quam paucùlas illas tuæ famæ reliquias vno quaſi momento prodigas; vide quæſo te, quam nihil tibi honeſti cordis & frontis reliqui facias. Ais, ſi Sereniſſimus Bauariæ Dux, (optimus plane, quia vos peſſimos odit) de contumelia nomini ſuo facta edoceri poſſet, nec ei ad librorũ veſtrorũ lectionẽ aditus intercluſus foret, futurum, ut Ieſuitas è ſua ditione

pro-

Digitized by Google

proſcriberet. An non hoc dicis Hunni? an autem ſeriò dicis? vt virum honeſtum, & cordatũ decet? an potius ex propoſito mentiris & calumniaris? Non ego te cuiuſquam criminis arguo, Huñi, nõ cõuicior, nil eorum tibi ipſe impono: tu potius, tu ipſe uideris, quid reſpõdeas, ne velut improbus calumniator, ab omnibus iure habearis. Nã ſi ſeriò loqueris, en jã te ipſe ab omni criminis nota immunem pronũcio, atq; tuas illas criminationes omnes, etſi per ſe falſiſſimas, quantũ in me eſt, libens tibi cõdono. Si autẽ è mente tua non loqueris, ſed ex deliberata voluntate ita calumnioſè mẽtiris, næ tu ipſe; non alius, te peſſimum criminatorem, omnis honeſtatis, & frontis expertem, & feceris, & pronunciaueris.

Quod ſi dicas (ut procul dubio dices) te ſerio, & ex animo eſſe locutum: tum dicam ego, te ſerio, & ex animo mentiri, niſi quod verbis aſſeris, facto atteſteris; atteſtaberis autem, ſi te Sereniſſimo Bauariæ Duci præſentem ſtiteris, ſi quoniam eius Serenitatem, à veſtris libris legendis, artibus Ieſuitarum arceri clamitas, calumnias, ob quas illos è Bauaria eijciendos fore tibi adeò certò polliceris, coram teſtatas, & comprobatas reddas, ſi recitatis libellis tuis, ſeu cauſa quouis modo perorata, tantas, ut opinaris Reipublicæ peſtes à florentiſſima prouincia, tua adeo ſalutari præſentia depellas. Sanè ſi iuſtam cauſam te fouere exiſtimas, en Princeps (vt ipſe fateris) *optimus* eſt, æquitatem & ius utique tuebitur: Si cauſam obtineas, non modo factum æterna memoria dignum præſtabis, ſed & labore tuo fructum digniſſimum reportabis, eumque non tibi ſolum & Bauariæ vniuerſæ; verum etiam toti Prædicantium gregi exoptatiſſimum. Detrectare ergo hunc laborem honeſtè non potes, ſiue Principem *optimum* ſpectes, qui id ſua utique bonitate promeretur: ſiue commune tot animarum bonum, pro quo etiam voluit nos CHRISTVS vitam ponere: ſiue communem Prædicantium fratrum tuorum cauſam, quibus dum adeo commodare potes, nullum reputare debes incommodum: ſiue teipſum conſideres, qui non ſolum hac ratione, à grauiſſimo infamiæ periculo te vindicabis, ſed ſi rem confectam præſtes, plurimis inſuper bonis, quæ vel ſola ſpe deuorare

fare tibi volupe ſit, cumulabis. Hoc ergo, quod à te tanta nunc obteſtatione peto, facere debes, aut eſſe, qualis videri non vis, improbus calumniator.

Sed quînam æquo judicio præſentem te exhiberes, quando initio litis ſtatim adeo apertis calumniis & mendaciis in nos graſſaris? Ex quibus illud inſigne: Sereniſſimo Bauariæ Duci, *artibus* Ieſuitarum *ad ſcriptorum veſtrorum, liberamq́; lectionem aditum intercludi.* Hoc enim eſſe mendacium nouit Princeps, norunt Catholici omnes, & tu ipſe noſti, ſi tamen noſti, Ieſuitas Catholicis, nedum Principi leges vllas ferre non poſſe. Quod autem Catholici veſtros libros, ſine legitima facultate, non legunt, id juſta ſummi Pontificis lege faciunt, qui tanquam communis Eccleſiæ Paſtor, iure, nî fallor, & prudenter oues ſibi commiſſas à venenatis paſcuis arcet. Qua etiam de cauſa Sereniſſimi Bauariæ Duces, non ſolum veſtros ipſi pro ſe libros aſpernantur, ſed etiam pro ſuo Catholicorum Principum officio (ſiue ringantur, ſiue rumpantur Prædicantes) tanquam communem patriæ peſtem, ex ſua ditione dudum proſcripſerunt, eoſq; etiam, pœna ſcienter retinentibus conſtituta, flammis voracibus meritiſſimo addixerunt. Neq; tamen interim Catholicos, ſi quid in eos mendaciorum & calumniarum effunditis, latet. Quin ipſi potius Ieſuitæ, veſtrorum ſcriptorum ſententiam, ſuis ſcriptis diligenter inſerunt, & ſimul cuius pretii ſint, oſtendunt. Quod me tum aliàs de tua Relatione diligenter præſtitiſſe, tum iam quoq; de tuo præfationis examine factitare, tu ipſe teſtaberis.

Sed etſi Catholici penitus ignorarent veſtra, an idcirco quærere eos oporteret? Sed quid? fidem? quam ſi non quærunt, habent? ſi quærunt, perdunt? fidem, ais, quærant? *apud Hæreticos? vbi omnia,* inquit Tertullianus, *extrânea & aduerſaria noſtræ veritati? ad quos vetamur accedere? Quis ſeruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hoſtibus Regibus donatiuum, & ſtipendium captat, niſi planè deſertor, & transfuga, & rebellis? Etiã anus illa intra tectum ſuum drachmam requirebat. Etiam pulſator ille vicini januam tundebat: etiam vidua illa non inimicum, licet durum, judicem interpellabat.*

Tertul. de præſcript. cap. 12.

S. Ioann. 2.

Luc. 15.

Nemo

Nemo inde ſtrui poteſt, vnde deſtruitur, nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. Quæramus ergo in noſtro, & à noſtris, & de noſtro, idq́; duntaxat, quod ſalua fidei regula poteſt in quæſtionem venire, &c. Ita Tertullianus. Neque minus luculenta eſt altera illa calumnia, qua Ieſuitas è Galliæ regno ulla ſua culpa expulſos, criminatur Prædicans. Certè ſi vir probus eſſes, Hunni, calumnias toties, & tam valide protritas nobis adeò temere, ſine vllo probationis momento non obijceres. Iam quando honorem tuum omnem adeo impudenter ipſe proſtituis, quis in viris cordatis inpoſterum te cenſeat, quis non tanquam circulatorem deſpiciat, quem millies eandem fabulam obtrudere non pudet.

Vid. Apologiam Fr. Montani pro Societate Ieſu. Item Apolog. à Religioſis eiuſdem Societ, editam Ingolſt. item defenſionem eiuſdem Apolog. Iacob. Gretſeri.

Annon times, ne Sereniſſimus tuus Princeps, feliciſſimæ quondam ac fortiſſimæ gentis inclitum caput, te pro tantis calumniis, atq; adeo impudenti temeritate debitis mactet præmiis, eumque in locum ſecedere iubeat, qui non ita pridem tua, ſi non opera, certè voluntate, Samueli Huebero collegæ tuo; nec multo antea Prædicantibus cæteris cum Lutero (veſtro iudicio) minus conſentientibus, & vobis certe quoad fidem non multo peioribus, ducali autoritate contigit? An non times, ne Princeps pro ſui ingenii ſolertia tandem cogitet, quibus animam ſuam credat paſtoribus, nouis, elatis, mendacibus, ad omnem calumniam, & impudentiam adeò proiectis, vt nec DEI, nec hominum fidem (quod in hoc meo ſcripto Hunni de te manifeſtum facio) in precio habeant, adeoque per omnia talibus, quales in nouiſſimis diebus futuros eſſe prænunciauit Apoſtolus. Annon times, ne Deus aliquando Principis mentem clementer tangat atque illuſtret, ut oculos ad ſemitam antiquam Patrum ſuorum reducat, priſca tempora conſideret, ſanctum Suuibertum, Bonifaciũ, Bennonem, hic jam apud nos miraculis clariſſimum, cæteroſq; antiquos Eccleſiæ Saxonicæ, iam inde tanta ſectarum varietate miſerrime iactatæ, paſtores eruditione claros, vitæ ſanctitate cõſpicuos, quoſdam etiam Martyrii laurea inſignes cogitet; ſicque demum ad antiquum Eccleſiæ ouile animum adijciat, & vos non vt Paſtores ſuos habeat, ſed velut patriæ lupos ab ouilibus arceat. Neque tamen ego, mihi crede, Hunni, tibi eum vindicem ex-

2. Timoth. 3.

D poſco:

poſco; ſed potius ad Catholicæ fidei veritatem aut ducem, aut comitem exopto. Atque vtinam faxit Benigniſſimus D E V S, vt Principes tanti, veſtris mendaciis hactenus decepti, animum ad hanc curam ſeriò applicent, vt ex qua parte ſtet veritas, accuratè diſpiciant.

Vtinam ſcripta Catholicorum maiore æquitate, & ſtudio perlegant. Non eſt profecto, non eſt illis in hac cauſa, eadem quæ Catholicis fiducia. Fidem illi tuentur nouam, & à mille annis (ne quid amplius dicam) nuſquam prædicatam, homines ſequuntur nouos, nulla, (ſi præſertim cum veteribus conferantur) nec egregia morum ſanctitate, nec doctrinæ præſtantia inſignes, nulla miraculorum virtute pollentes, pleroſque apertis criminibus contaminatos, & his tantorum authoritate maiorum poſtpoſita, fide que tot miraculis conſpicua, tam inſigni omnis generis hominum ſanctitate commendata, adeò magnificè iuxta Euangelica promiſſa per vniuerſum terrarum orbem diſſeminata, neglecta, adhæreant? Ecce quot ſcrupuli? Imo quanta veritatis deſperatio?

At Catholici quid de via dubitent, qui viam ingrediuntur, tot ſanctorum Martyrum, Confeſſorum, Doctorum, Virginum veſtigiis (ipſorũ etiã aduerſariorum confeſſione) cœlum verſus tritam? cur jam primum quærant, quod per mille quingentos, & amplius annos majores noſtri tam ſagaces, tam oculati, tam induſtrii, ſanctiſſimi pariter, & doctiſſimi inuenire non potuerunt? Cur de Catholicæ veritatis poſſeſſione dubitent, quam plus mille quingentis iam annis ita tenuerunt, vt vel eorum eſſe veritatem oporteat, vel nuſquam omnino eſſe neceſſe ſit. Ecce quanta Catholicis confidentia, quanta mentis tranquillitas, quâ omni præſentium Hæreticorum nouitati, cum Sancto Hilario audacter inſultant, palamque exclamant: *Ab his quæ teneo edoctus, his immedicabiliter imbutus ſum. Et ignoſce omnipotens D E V S, quia in his nec emendari poſſum, ſed commori poſſum. Tardè mihi hos piiſſimos* (alias impiiſſimos) *quantum ego arbitror, Doctores, nunc ætas hujus ſæculi protulit, ſerò hos habuit*

Hilar. lib. 6. de Trin.

buit fides mea, quam tu erudiſti, magiſtros, &c. Sed ad Hunnium, præfationem & Relationem noſtram allatrantem redeamus. Lamentabiliter enim conqueritur, nos per hæc *cogere Protocollum aliud contra claram litteram loqui.* Et cui non commiſeratione digna videatur tam deplorata miſeria?

Sed an mendax eſt Hunnius? an ex Circes poſteris ſunt Ieſuitæ? vt quam velint formam, & vocem rebus tribuere poſſint? an Protocollum adeo ambiguis conſtat ſermonibus, vt velut Pythij Apollinis oracula, in quam malis partem intelligi, & explicari poſſint? Sed rem ſic accipe Hunni. Aut enim Catholici in ſua præfatione, & Relatione Protocollo conſentanea dicunt, & tunc cur ea arguis? tanquam ſi Protocollum aliud loqui cogant? aut conſentanea non dicunt, & tum eò facilius eorum vanitas deprehendetur, quò ſuam illam præfationem, ſeu relationem propius, & arctius Protocollo aſtrinxerunt. Tantum abeſt, vt hac ratione, Protocollum *contra claram litteram*, vt ais, *aliud loqui cogere* poſſint. Certè nunquam illis contra protocollum credetur, ſicut nec iam creditur Hunnio, rem adeo proba fide geſtam calumnianti.

Illud tamen libenter audio, quod hac ipſa ſua querela non obſcure fatetur Hunnius, Protocollum ſcilicet incantationibus Ieſuiticis dementatum, à Ieſuitarum parte ſtare, atque adeo aliud, quam quod Prædicantes antea vaniſſimè jactabant, loqui. Quam confeſſionem, nulla niſi veritatis vi ab inimico extortam, gratiſſimo animo accipimus; eoque magis, quod à Prædicante, de fonte adeo claro, nominis ſui originem deducente, profecta eſt.

Et vnde? Audi obſecro etymon huius denominationis, lector, ſed caue rideas. Cum enim in præfatione ſuos collegas Neoburgenſes hoc titulo inſignitos conſpicaretur, ſic infit. *Neoburgenſes ſe à ſummo Prædicante Chriſto libenter Prædicantes denominari ſinunt.* Gratiam ſanè Prædicanti Hunnio, ſed non *ſummo*, debent omnes Prædicantes, qui ſui nominis originē ad Chriſtum referre tā bellè edocti ſunt. Eant nūc Ieſuitæ, cū ſua Socieṫa-

te nominis Iesv, auguſtior eſt Prædicantium appellatio, qui non vt illi, à Iesv, per extrinſecam quandam denominationem, *Ieſuitæ*, ita hi à *ſummo Prædicante Chriſto Prædicantitæ*; Sed plane in eiuſdem nominis communionẽ eſſentiali quadam prædicatione admiſſi, *Prædicantes* dicuntur. Sed miror, cur Hunnius huic aſſertioni comprobandæ non adiecerit more ſuo aliquod ſcripturæ teſtimonium, & præſertim illud Lucæ 4. Et erat Prædicans in Synagogis Galileæ. Sane quidem vel ob adiunctum nomen Synagogæ; apta fuiſſet probatio Moſaico Doctori, cui *cathedra Moyſis non eſt temporalis, ſed æterna*: niſi quod Chriſtus erat Prædicans in *Synagogis Galileæ*, Hunnius autem cum ſuis Prædicãtibus, in Synagogis Germaniæ.

Sed videamus, quomodo Prædicans in ſuis Notationibus Monacenſis Protocolli editionem oppugnet, & ſuam Lauinganam propugnet. Ante omnia Reuiſores Bauaricos à malæ fidei crimine liberos pronunciat. Rectè. non enim potuit aliter, niſi voluiſſet συκοφαντεῖν, vt ipſemet fatetur. Ait deinde: eos *negligentes in ipſa reuiſione: illos verò, qui Protocollum Monachij ad prælum adornarunt, ſuperfluè diligentes, & inepte ſcrupuloſos fuiſſe*. Eam videlicet ob cauſam, quod errores manifeſtos librariorum in deſcriptione Protocolli Bauarici commiſſos, tanta religione in margine tantum, additis aſteriſcis (ne ulla ſcilicet vel minima fraudis ſuſpicio eſſe poſſet) non in ipſo contextu emendarunt. Sed de hoc equidem cum Hunnio nihil contendo; quin potius arbitror, hanc ipſam eius accuſationem Catholicis eſſe perquam honorificum bonæ fidei ac integritatis teſtimonium, etſi nolit Prædicãs, Ieſuitis hinc *aliquã vel diligẽtiæ, vel candoris opinionem conciliari*. Sed nec iſtud contendo; quanquam eam opinionem, vt Hunnius dare non poteſt, ita nec auferre vel diminuere: præſertim cum quod de calumniis, & mendaciis, ac falſi criminibus, in præfatione, & relatione noſtra commiſſis, obijcit Prædicans, meras eſſe criminationes, tum ex meo Hunnianæ Relationis examine manifeſtum ſit; tum ex hoc ipſo ſcripto manifeſtius futurum ſit.

Quod

Quod attinet ad negligentiæ notam, quam Reuiſoribus Bauaricis, viris ſpectatiſſimis affricat Prædicans; nihil equidem dubito, quin calumniatorem in hac etiam re agat Hunnius: etſi tam parum alioqui ipſe reuiſioni aſtiti, quàm Hunnius. Ipſimet enim Reuiſores aduerſæ partis (Prædicantes inquam Tubingēſes in ſuo ſcripto germanico, quod triumphum Ieſuiticum inſcripſerunt) illis egregium fidei, ac diligentiæ teſtimonium perhibent, quorum hæc parentheſis eſt: wie gnaw/fleiſſig/vnd ſcharpff/ ſie (die Catholiſchen reuiſores) auch auffgeſehen / deſſen wir jnen mit warheit zeugnuß geben können / vnd ſollen. Neque ſanè aliud habet Hunnius, quod obiiciat, niſi quod Protocollum noſtrum, ſcriptorum vitio, minus orthographicè, atque emendatè conſcriptum eſt. Interim quòd Reuiſores aduerſæ partis elegantiore, ac mundiore charactere ſuum Protocollum confecerunt, noſtrorum fidem, & induſtriam plurimum commendat; illorum verò diligētiam, ex ſubſecuto effectu, etiā ſuſpectam reddit. Quia enim pars aduerſa, vt poſtea compertum eſt, non ſemper adeo bona fide circa Protocolli reviſionem verſabatur, idcirco nimirum magnopere cauebat, ne in ſuo Protocollo, litura quæpiam, fraudis commiſſæ teſtimonium, ſupereſſet. Catholici verò quia probè nôrant, ex ſua parte rem candidè agi, ſimulque operæ pretium aliquando eſſe poſſe animaduertebant, ſcire quidnam, & qua ratione, in reuiſione circa Protocollum mutatum, demptum, vel additum eſſet: Idcirco conſulto, & dedita opera emendatorias illas, ſiue vt ita loquar, ſuppletorias notas Collocutorum vtriuſque partis, Protocollo Bauarico ſuis quaſque locis ita inſeruerunt, vt quæ ex Reuiſorum arbitrio emendanda erant, vel in noſtris, vel in Aduerſariorum dictis, litura quidem oblitterarētur, ſed ita tenui, vt etiam deleta legi nihilominus à quouis facile poſſent: quin etiam maluerunt, idipſum Protocollum, ita lituris deformatum, ab vtriuſq; partis Notariis, & Reuiſoribus adſcriptis nominibus, ſigillisq; appreſſis authenticum fieri, quam aliud quoddam ad primum illud exemplar diligentiſſimè, & mundiſſimè deſcriptum; quo nimirum, vt dixi, in omnem euentum, ſi quid dubii circa reuiſionem incideret, id planè ex ipſomet authentico Protocollo

Digitized by Google

Bauarico exploratum eſſe poſſet. Hanc autem cautelam Catholicis re ipſa jam vſui eſſe, ipſimet aduerſarii nimis ſentiunt, qui de ſua illa fraude, in commutatione vocum (*Deſcriptã*, & *Traditam*) comiſſa, nullo quaſi argumento validius cõuinci poſſũt, quam authentici Protocolli Monacenſis teſtimonio, dequo infra plura. Gloriẽtur itaq; illi ſua, in deſcribendo Protocollo, diligentia, litterarumque elegantia: at noſtri in eo conſignando candore ac fide.

Sed ait Prædicans etiam *alia majoris momenti in editione Monacenſi merito deſiderari.* Duo enim manifeſta errata in Monacenſi editione Protocolli relicta eſſe. Primum, quod pagina 74. *ἀπόθεσιν legitur pro ἀπόδοσιν.* Alterum quod pag. 273. in illis verbis Hunnii: *Quandoquidem non poteſt illud διδάσκοντες, ſeu μαθητεύσατε, tantummodò referri ad doceri, cum ſimpliciter ſignificet diſcipulos facere:* redundare, ait, particulam, *διδάσκοντες ſeu.* Sed bene eſt, quod hæc ipſemet Prædicans γραφικὰ σφάλματα, errata ſcriptorum appellat: quæ ſanè hoc ipſo, quod in Protocollo authentico expreſſa extarent, nec ſatis per ſe liquidum eſſet, quibus ea imputanda forent, merito ſunt in editione Protocolli relicta. Quid enim ſi ea non ſint errata ſcriptorum, ſed Hunii loquentis? Quid ſi, vt noua arte στυλὸς inſonuit, ita Apotheſin Protheſi oppoſuit; & è contra figmenti illius noui oblitus, quo alioquin diſcrimen faciebat inter τὸ μαθητεύειν cum regimine accuſatiui, & διδάσκειν, vtrumq; demum iuxta omnium lexicographorum fidem confudit, & pro eodem habuit? Certè tam ad hoc teſtandum valet Monacenſe Protocollum, in quo ita leguntur, quam ad cõtrarium euincendum, Neoburgenſe, in quo iuxta Lauinganam editionem non leguntur.

Sed ſi animus nobis eſſet, inquit Prædicans, *ad viuum reſecare omnia, liceret alia exagitare.* Sed quænam, mi Prædicans? *Poſſemus*, inquit, *quærere, cur τὸ διδάσκατε* Tannerianum pagina 171. ſit emendatum? Sed facilis eſt reſpõſio. Id enim nihil aliud, quam vaniſſimum figmentũ Prædicantium eſſe, à me in examine

Rela-

Digitized by Google

Relationis Hunnianæ luculenter oſtenſum eſt. Vnde conſequitur, non editionem Bauaricam in hoc accuſandam, quod eam errorem non habeat, ſed potius Prædicantes Neoburgenſes eximiæ vanitatis nota editionem Lauinganam aſperſiſſe, dum adeò futile figmentum majuſculis exprimi curarunt, cum interim nullo argumento, ne ſuſpicionem quidem eiuſmodi erroris in colloquio commiſſi vlli cordato moturi ſunt. Exam. Hunn. Relat. cap. 3.

Sed vlterius quærit Prædicans, *cur error numeri commiſſus à Tannero in colloquio, poſtea in editione Protocolli ſit emendatus:* dum nimirũ in reſponſo, ad repudiatam à Prædicantibus authoritatem Pontificis, his verbis dato; *Mirum eſt, quod vos illos ſanctos, & ſummos viros, quos Eccleſia tam lõgo tẽpore, & vltra 1500. annos pro ſanctis habuerit, reprobare cõamini*, pro numero illo 1500. poſitus eſt in margine numerus 1400. Sed quis Prædicantẽ Hunniũ, ſycophantam, & calumniatorem non miretur, qui quod ſuperius in Catholicis ſuperfluæ diligentiæ eſſe dixerat, & certe eximium ſynceritatis indicium eſt, in malæ fidei ſuſpicionem, & accuſationem trahere audet. Prot. Mon. p. 170.

Cum enim ſine controuerſia vtrique parti fuerit integrum, etiam notationes Protocollo, ſine textus præiudicio, addere; cum etiam antea Hunnius Catholicis exprobrarit, quod Hunnii errata quædam non in ipſo contextu emendarint, quantumuis alioquin in Protocollo Bauarico extarent; qua fronte audet Hunnius vnicam vocem, ſeu numerum, à Catholicis in margine ſine vlla immutatione textus poſitum, velut Protocolli corruptelam mala fide appoſitam calumniari? Certè nimis ſe prodit Hunnius, quam peruerſo calumniandi ſtudio feratur, ſimulque hoc ipſo teſtatum facit, nihil in toto Protocollo Monacenſi reperiri poſſe, quod meritò ſuſpectæ fidei cenſeri poſſet, etiamſi maximè concederetur, lapſu linguæ, ſeu memoriæ quippiam hic à me erratum fuiſſe. Neque certè erratum hoc Tannero exprobrare poſſent Prædicantes, quando ipſi in ſuo tanto tempore elaborato ſcripto, Tertullianũ *Epiſcopũ Carthaginenſem* fecerũt, & Theophylactum

aiunt

Digitized by Google

aiunt vixiſſe, circa annum.Dñi. 600. qui tamen circiter ducentis pòſt annis primum natus eſt. Sed non eſt neceſſe vt Tannerus in Hunnii gratiam ullum à ſe errorem in prædicto loco commiſſum agnoſcat. Nam ut nullum calami lapſum librariis in conſcribendo eo Protocolli loco impingã; cũ tamẽ nil facilius ſit, quàm cõſcribẽdis, aut tranſcribẽdis numeris errare, quãdo præſertim ea, q̃ tum dicebamus, ad calamum haudquaquam dictabamus: certè oratio illa etiam retento numero 1500. veriſſima, nec ulli errori obnoxia eſt, vtpote quæ ad Victorem Pontificem nequaquam reſtingitur, ſed generatim perſtringit Hunnium, qui vllius Romani Pontificis authoritatem inter argumentandum opponi omnino vetabat. Sic enim res habet. Objectum fuerat à nobis decretum Victoris Pontificis, vt probaretur, *obſeruationem Paſchatis vi authoritatis diuinæ, propter bonum ordinem, per Eccleſiam inſtitutam eſſe*, quam propoſitionem Aduerſarii vel ex ſtupore, vel ex mera deſperatione negauerant; cum nobis reſpondit Hunnius: *Ad alterum de Victore reſponſum eſt, quod is ab Irenæo reprehenſus ſit; & noſti tu, quod ab authoritate Pontificis, contra nos argumentari non poſſis.* Vbi notanda *generalis* Hunnii contra Pontificem Romanum exceptio. Ad quam ego: *De Pontifice quod dicis, mirum eſt, quòd vos illos ſanctos, & ſummos viros, quos Eccleſia tam longo tempore, & vltra 1500. annos pro ſanctis habuerit reprobrare conamini.* Quæ oratio retundit generalem illam Hunnii exceptionem, ab omni modeſtia, ſenſuq; Chriſtiano alieniſſimam, atq; cum ſumma temeritate, & impietate coniunctam: Cum quicquid ſit de aliis, eorum certè authoritatem ſperni intolerabile ſit, qui etiam ante annos plus mille quingentos vixerunt, & tanquam SS. Martyres, tot jã ſeculis in Eccleſia celebrati ſunt.

Protocol. Monac. edit. 2. pag. 230.

Vnde videt Hunnius, nullius erroris argui poſſe Tannerum, ſed ſe potius inſolentiſſimæ inſaniæ damnari. Neq; verò ideo in Monacenſi editione minor ille numerus poſitus erat, quod major errorem contineret; ſed quia veroſimillima conjectura erat, non majorem, ſed illum ipſum minorem numerum in Colloquio prolatum fuiſſe: qui proinde, vt calumniis minus expoſitus, in margine, altero in textu nihil mutato, poſitus eſt.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi ſuſpicionibus agere liberet, poſſem equidem producere multa, quæ in Lauingano Protocollo, ſiue eius editione ſuſpicionem non tam lapſus graphici ſeu typographici, quam præmeditatæ fraudis præbere poſſent. Nam ut taceam fictitium illud διδάσκαπ, de quo ſuperius: Certe ſuſpicione non caret illud, quod circa verba mea, quæ habentur initio Seſſionis quintæ: *Quia tamen Sereniſſimis, & Illuſtriſſimis Principibus heſterno die clementiſſimè placuit, me quoq;, quamuis pro tantæ rei dignitate, & grauitate imparem, Collocutorem admittere, & adhibere*; omiſſum eſt in Lauingana editione vocabulum, *adhibere*; fortè quia ferre non poterant Prædicantes, me ad colloquium à Sereniſſimis Principibus *admiſſum*, nedum *adhibitum* fuiſſe: cum tamen ab eis non tãtum admiſſus, ſed etiam ad hoc munus adhibitus & aduocatus fuerim; de quo ſatis à me in relatione actum eſt. Relat. de Colloq. part. 1. cap. 2.

Item Seſſione nona, ſunt in Bauarica editione Protocolli, hæc Hunnii verba: *Quæritur de Iudæis, qui, teſte Chriſto, tum iudicabantur à Moſe*: Sed quia Chriſtus non dixerat, Iudæos à Moyſe *iudicari*, ſed *accuſari*, vt etiam alibi contra Prædicanticas corruptelas ſcripturæ notauimus, cautè profectò verba illa, *teſte Chriſto*, in editione Lauingana ſunt prætermiſſa. Sed mitto iam hæc: neq; lubet in re nõ liquide explorata fraudis reos agere Prædicantes. Nec omnino etiam illa attigiſſem, niſi ad hoc me impudentia Hunnii compuliſſet: grauiora ſunt illa, quæ contra Lauinganæ editionis fidem aduerſariis in præfatione obiiciuntur. Protocoll. Monac. pag. 323. Ver. 11. Relat. part. 1. cap. 11.

Neq; hic de voce *Traditam*, ſiue *Deſcriptam* agimus, de quibus infra erit proprius dicendi locus; ſed de duabus illis corruptelis, quibus aduerſarii circa ſanctorum Patrum teſtimonia, per apertum crimen falſi, Lauinganam editionem conſpurcarunt; qua in re, cum de Protocolli illius violatione à me deinceps agetur, ſolenniter proteſtor, mihi animum nequaquam eſſe, vel in minimam ſuſpicionem vllius malæ fidei vocare Illuſtriſſimum Comitem Palatinum, vtpote germanici haud dubie candoris, & integritatis tenacem Principem: ſed omnem à me accuſationis vim in eos contorqueri, qui vel in ipſamet Protocolli reuiſione,

E vel

Digitized by Google

vel in eiuſdem publica editione, nullo haud dubiè vel iuſſu, vel ſcitu Principis ſui, Protocollum contra publicam fidem deprauârunt. Quibus tamen ipſis (ne certa cum incertis confundantur) ita generatim crimen impingo, vt in particulari neminem accuſem. Quanquam haud dubiè accuſatio criminis in ipſos potiſſimum Prædicantes, vtpote eiuſmodi actionum Coryphæos, ſuopte pondere facilè recumbet.

Quod ergo attinet ad primam corruptelam, commiſſam circa voces illas *Probationem*, & *Correptionem*, bis in teſtimonio quodam Sancti Irenæi ab adverſariis malè commutatas; vt accuſationis noſtræ, & expurgationis Hunnianæ vis, & energia melius pateſcat, operæ pretium eſt, ipſum de quo agitur Teſtimonium Irenæi, prout ab aduerſariis ſcripto conſignatum, nobis traditum eſt, ipſique authentico Protocollo Bauarico inſertum, hîc vna cum reſponſo Catholicorum, prout tam in Monacenſi, quam Lauingana editione impreſſum habetur, deſcriptum reddere. Sic autem ad verbum habet Irenæi teſtimonium ab aduerſariis adductum. *Irenæus libro 4. capite 45. Audiui à quodam Presbytero, qui audierat ab his, qui Apoſtolos viderant, & ab his, qui didicerunt, ſufficere veteribus de his, quæ ſine conſilio Spiritus egerunt, eam, quæ ex ſcripturis eſſet* P.R O B A T I O-*N E M.* Quo teſtimonio probare nitebantur aduerſarii, ſcripturam adeo perfectam eſſe, vt omnia omnino fidei, & morum dogmata expreſsè contineat.

Prot. Monach. pag. 161.

Sed reſponſum eſt à noſtris his verbis: *Ad 2. Irenæi reſpondetur, malè ab Aduerſariis legi, eam, quæ ex ſcripturis eſſet* PROBATIONEM; *cum legendum ſit*, CORREPTIONEM, *vt etiam latinus textus habet. Senſus autem eſt: Noſtrum non eſſe, veterum peccata, puta Dauidis, Salomonis, &c. ſuperbè reprehendere; Sed potius ſollicitos eſſe debere, ne ipſi etiam grauius cadamus; veteribus autem illis ſufficere correptionem quæ in ipſa ſcriptura continetur, vt quidem de Dauide & Salomone prolixius declarat. Unde concludit infra, adducto ſenioris illius teſtimonio: Non debemus ergo ſuperbi eſſe, neque* repre-

Prot. Monach. pag. 190. Lauin. pag. 259.

reprehendere veteres, ſed ipſi timere. Quod quid quæſo aduerſariis patrocinatur? Interim in eodem capite, Sanctus Irenæus fideles non ad Scripturam ſolam, ſed ad Sanctorum quoque Patrum interpretationem ablegat; quod tamen aduerſarii callidè diſſimulant. Vbi igitur, inquit, tales (fideles Eccleſiæ miniſtros, & Doctores) inueniat aliquis, Paulus docens ait: Poſuit Deus primo in Eccleſia Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertiò Doctores. Vbi igitur charismata Dei poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem; apud quos eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſſio, & id quod eſt ſanum, & irreprobabile conuerſationis, & inadulteratum, & incorruptibile ſermonis conſtat. Hi enim & eam, quæ eſt in vnum Deum, qui omnia fecit, fidem noſtram cuſtodiunt, & eam, quæ eſt in filium DEI dilectionem adaugent, qui tantas diſpoſitiones propter nos fecit, ET SCRIPTVRAS SINE PERICVLO NOBIS EXPONVNT, *neque DEVM blaſphemantes, neque Patriarchas exhonorantes, neque Prophetas contemnentes.* Ita ad verbum reſponſio Catholicorum habet.

Quibus poſitis palam fit iam hoc, de quo agitur: nimirum aduerſarios à Catholicis duabus de cauſis jure optimo culpari. Prima, quod Teſtimonium illud Irenæi pro ſe allegatum initio male deprauarunt, & ad ſuum inſtitutum contorſerunt, ſuppoſito vocabulo *probationem*, pro voce *correptionem*. Altera, quod eiuſmodi fraudem, ſibi à Catholicis in publico Protocolli ſcripto exprobratam, iam in ipſo contextu Lauinganæ editonis, contra publicam fidem, plane inconſultis Catholicis, & nec minima ad Lectorem admonitionis nota appoſita, noua fraude, & ut quod res eſt dicam, per apertum crimen falſi emendarunt, adeoque vocem CORREPTIONEM, pro ſuppoſito vocabulo PROBATIONEM reſtituerunt.

Quæ quidem emendatio, contra publicam Protocolli fidem, proprio arbitratu facta, eis iure optimo vitio daretur, etiamſi prior illa vocum commutatio nulla fraude, ſed mero caſu accidiſſet; quandoquidem is error, iam ſemel à Catholicis in publico ſcripto ipſi Protocollo inſerto taxatus, inconſultis Catholicis, non erat mutandus. Quantò iam grauior eſt ſe-

Digitized by Google

vel in eiuſdem publica editione, nullo haud dubiè vel iuſſu, vel ſcitu Principis ſui, Protocollum contra publicam fidem deprauârunt. Quibus tamen ipſis (ne certa cum incertis confundantur) ita generatim crimen impingo, vt in particulari neminem accuſem. Quanquam haud dubiè accuſatio criminis in ipſos potiſſimum Prædicantes, vtpote eiuſmodi actionum Coryphæos, ſuopte pondere facilè recumbet.

Quod ergo attinet ad primam corruptelam, commiſſam circa voces illas *Probationem*, & *Correptionem*, bis in teſtimonio quodam Sancti Irenæi ab adverſariis malè commutatas; vt accuſationis noſtræ, & expurgationis Hunnianæ vis, & energia melius pateſcat, operæ pretium eſt, ipſum de quo agitur Teſtimonium Irenæi, prout ab aduerſariis ſcripto conſignatum, nobis traditum eſt, ipſique authentico Protocollo Bauarico inſertum, hîc vna cum reſponſo Catholicorum, prout tam in Monacenſi, quam Lauingana editione impreſſum habetur, deſcriptum reddere. Sic autem ad verbum habet Irenæi teſtimonium ab aduerſariis adductum. *Irenaus libro 4. capite 45. Audiui à quodam Presbytero, qui audierat ab his, qui Apoſtolos viderant, & ab his, qui didicerunt, ſufficere veteribus de his, quæ ſine conſilio Spiritus egerunt, eam, quæ ex ſcripturis eſſet* P R O B A T I O N E M. Quo teſtimonio probare nitebantur aduerſarii, ſcripturam adeo perfectam eſſe, vt omnia omnino fidei, & morum dogmata expreſsè contineat.

Prot. Monach. pag. 161.

Sed reſponſum eſt à noſtris his verbis: *Ad 2. Irenæi reſpondetur, malè ab Aduerſariis legi, eam, quæ ex ſcripturis eſſet* PROBATIONEM; *cum legendum ſit*, CORREPTIONEM, *vt etiam latinus textus habet. Senſus autem eſt: Noſtrum non eſſe, veterum peccata, puta Dauidis, Salomonis, &c. ſuperbè reprehendere; Sed potius ſollicitos eſſe debere, ne ipſi etiam grauius cadamus; veteribus autem illis ſufficere correptionem quæ in ipſa ſcriptura continetur, vt quidem de Dauide & Salomone prolixius declarat. Unde concludit infra, adducto ſenioris illius teſtimonio: Non debemus ergo ſuperbi eſſe, neque*

Prot. Monach. pag. 190.
Lauin. pag. 259.

repre-

reprehendere veteres, ſed ipſi timere. Quod quid quæſo aduerſariis patrocinatur? Interim in eodem capite, Sanctus Irenæus fideles non ad Scripturam ſolam, ſed ad Sanctorum quoque Patrum interpretationem ablegat; quod tamen aduerſarii callidè diſſimulant. Vbi igitur, inquit, tales (fideles Eccleſiæ miniſtros, & Doctores) inueniat aliquis, Paulus docens ait: Poſuit Deus primo in Eccleſia Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertiò Doctores. Vbi igitur chariſmata Dei poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem, apud quos eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſſio, & id quod eſt ſanum, & irreprobabile conuerſationis, & inadulteratum, & incorruptibile ſermonis conſtat. Hi enim & eam, quæ eſt in vnum Deum, qui omnia fecit, fidem noſtram cuſtodiunt, & eam, quæ eſt in filium DEI dilectionem adaugent, qui tantas diſpoſitiones propter nos fecit, ET SCRIPTVRAS SINE PERICVLO NOBIS EXPONVNT, *neque DEVM blaſphemantes, neque Patriarchas exhonorantes, neque Prophetas contemnentes.* Ita ad verbum reſponſio Catholicorum habet.

Quibus poſitis palam fit iam hoc, de quo agitur: nimirum aduerſarios à Catholicis duabus de cauſis jure optimo culpari: Prima, quod Teſtimonium illud Irenæi pro ſe allegatum initio male deprauarunt, & ad ſuum inſtitutum contorſerunt, ſuppoſito vocabulo *probationem*, pro voce *correptionem*. Altera, quod eiuſmodi fraudem, ſibi à Catholicis in publico Protocolli ſcripto exprobratam, iam in ipſo contextu Lauinganæ editonis, contra publicam fidem, plane inconſultis Catholicis, & nec minima ad Lectorem admonitionis nota appoſita, noua fraude, & ut quod res eſt dicam, per apertum crimen falſi emendarunt, adeoque vocem CORREPTIONEM, pro ſuppoſito vocabulo PROBATIONEM reſtituerunt.

Quæ quidem emendatio, contra publicam Protocolli fidem, proprio arbitratu facta, eis iure optimo vitio daretur, etiamſi prior illa vocum commutatio nulla fraude, ſed mero caſu accidiſſet; quandoquidem is error, iam ſemel à Catholicis in publico ſcripto ipſi Protocollo inſerto taxatus, inconſultis Catholicis, non erat mutandus. Quantò iam grauior eſt ſe-

cundus hic lapſus, quando etiã prior, quem poſteriore obliterare conabantur, vehementiſſima malæ fidei ſuſpicione laborat?

Quod quidem ipſimet aduerſarii, (non dubito) ſatis agnoſcunt: quandoquidem etiam aliâs, cum in allegandis teſtimoniis Sãctorum Patrum nobis objectis, etiam multò leuius, & vt ſatis apparebat, inconſultò quippiam erraſſent, tribuendo nimirum duo quædam teſtimonia authori, cuius non erant (Cypriano videlicet, cum eſſent Origenis) eos quidem errores, à nobis itidem in reſponſione noſtra taxatos, ſuo arbitrio in Protocollo emendare auſi non ſunt, ſed adhuc durante negocio reuiſionis, miſſis ad me, qui ex Collocutoribus Catholicæ partis, finito iam Colloquio, Ratisbonæ ſolus remanſeram, die vigeſimo ſecundo Decembris ſtylo nouo, duobus ex ſua parte reuiſionis negocio præfectis, Chriſtophoro Morolt Theologiæ Doctore, & Superintende Baroniæ Palatinæ Heydeccenſis, & Georgio Gauglero Secretario Palatino, eiusq; colloquii Notario iurato, humaniter, ac humiliter apud me ſupplicarunt, vt in Catholicorum reſponſo iam dominis reuiſoribus tradito, loca illa, in quibus à Catholicis duo illa errata notabantur, obliterarem, ſibiq; integrum eſſe permitterem, ſua eiuſmodi errata, nondum obſignato Protocollo, emendare. Non enim ex induſtria, ſed plane caſu, & librariorum lapſu, mendas illas irrepſiſſe. Cui petitioni tametſi initio refragarer, aſſerens, me quidem nunquam in animum induxiſſe, eos hac in re malæ fidei accuſare, & facile perſuaderi, incuria Amanuẽſium errata illa irrepſiſſe: attamen videri ſcriptum habendum eſſe, quod ſemel vtrinque publica fide ſcriptum eſſet, neque conſultum videri, ex eo quicquam mutare. Verum cum ſuam illi petitionem, enixius, & maiori ſtudio, pari tamen ſemper lenitate, & ſubmiſſione, prout res tunc poſtulare videbatur, vrgerent; tandem illam liberaliter eis, & libenter indulſi: ſimulque ut humanitate eorum expectationem etiam ſuperarem, à me per Collegii noſtri Ratisbonenſis templum, Bibliothecam, atque Refectorium (vbi etiam vini hauſtus eis amice exhibitus) deducti ſunt. Atque hæc ita ſe habere, locupletiſſimus teſtis eſt Reuerendus

admo-

admodum & clariſſimus dominus VVolfgangus Hanneman, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, & Eccleſiæ Cathedralis Friſingenſis Canonicus, atque ad S. Petri Monachii Decanus, &c. Ad quē velut ex parte Sereniſſimi Bauariæ Ducis in negotio reuiſionis Commiſſarium, cum aduerſarii ſuam eiuſmodi poſtulationem initio detuliſſent, repulſam ab eo paſſi ſunt, cum diceret, ſibi fas non eſſe, abſque Catholicorum Collocutorum conſenſu, in ea re mutare quicquam. Itaque ad me, ſi quid vellent, adirent. Et hoc ipſum eſt, quod in præfatione ſupra inſinuatum meminiſſe non vult Hunnius, in cuius proinde gratiam hoc loco fuſius referendum erat: vt vel hinc intelligeret lector, quam cauti alias fuerint aduerſarii, ne circa Protocollum quicquam à noſtris taxatum, ſuo arbitrio, abſque noſtro conceſſu, emendarent, vtcunque tantum de errore Amanuenſium incuria commiſſo ageretur. Vt enim honeſtius, ita conſultius tunc exiſtimarunt, nobis occulte ſupplicare, quam (quod circa teſtimonium Irenæi iam accidit) aperta fraude implicari.

Sed quanam ratione à duplicis illius errati, quod hactenus ſatis, vt opinor, explicatum eſt, nota, ſe ſuosque iam expurgat Hūnius? Ad prius reſpondet his verbis: *Quomodo in manu ſcriptum exemplar irrepſerit vocula* Probationem, *pro Correptionem ſibi ſane non conſtare.* Eſto. nec enim mihi conſtat, Hunniusnè, an Hailbronnerus, an eorum opera alius quiſpiam eam ſuppoſuerit. Interim ſuſpicione fraudis res non caret, vt ſuperius declaratum eſt.

Deinde ait, id *ſtudio non eſſe factum, ex eo liquere, quod vox Probationem, nihil ad inſtitutum* Prædicantium *faceret, ſed vocabulum, Correptionis, maximè.* At ego contra aio, ſtudio id eſſe factum, ex eo ſatis veroſimiliter coniici, quod vox, *Correptionem*, nihil ad inſtitutum Prædicantium faciat, & nec vllius momenti ſpeciem habeat, ad comprobandam illam ſcripturæ perfectionem, qua vt Prædicantes volebant, ſola ipſa, omni alia traditione, & infallibili Eccleſiæ authoritate ſecluſa, ſufficiat ad omnes errores in cultu, & doctrina Religionis arguendos: Cum interim illud Irenæi teſtimoniū, ſi in eo legeretur vox, *Probationem*, ab aduerſariis ſup-

ſuppoſita, non minimam ſpeciem ad inſtitutum illud comprobandum habere videri poſſet. Exiſtimauerit enim tum quiſpiam, Scripturam, ſecundum Irenæum, per ſe ſolam veteribus ſufficere potuiſſe, non quidem ad probanda, ſiue approbanda peccata, quæ veteres egerunt ſine conſilio Spiritus (quo iam voculam *probationis* diſtorquet Hunnius.) ſed ad probandum, ſiue oſtendendum, quid in quaque Religionis materia ſit peccatum, quidque proinde faciendum, quid vitandum ſit; cum retenta voce, *Correptionem*, huius ſignificatus ſpecies facilè pereat.

Quod mox ſolutione argumenti ab Hunnio in contrarium obiecti manifeſtiſſimum faciam. Sic autem habet. *Quia non ſolum agit Irenæus de correptione vitiorum in moribus, ſed etiam errorum in cultu & doctrina, quemadmodum Salomonis in Idolomaniam prolapſi exemplum ab Irenæo illic poſitum oſtendit: ideo firmiter ex eo concluditur, ad errores etiam in cultu, & doctrina commiſſos redarguendos, ſufficere eam, quæ ex ſcripturis eſſet, Correctionem, quam Paulus. 2. ad Timotheum. 3. vocat* ἔλεγχον. Ita Hunnius, cui quam hic primum opportunè quiſpiam occineret illud, licet in auribus Hunnii valde importunum; *Fac Syllogiſmum.* Sed quia fruſtra ad lyræ cantum inſtigetur aſinus, nos Hunnii vicem præſtabimus. Sic igitur debuit in forma argumentari Hunnius. Si peccata Dauidis, & Salomonis, &c. etiam peruerſi cultus & doctrinæ, ſufficienter in ſcriptura reprehenduntur, ſiue arguuntur; tunc etiam fatendum eſt, Scripturam ſufficere ad omnia omnino peccata, quæcunq; circa cultum & doctrinam committi poſſunt, reprehendenda; eamq; proinde ſolam & ſufficientem regulam eſſe omnis doctrinæ cultus & fidei: ſed Scriptura iuxta S. Irenæum, loco ſupra citato, ſufficit ad omnia omnino peccata Dauidis, & Salomonis, &c. etiam in cultu & doctrina perpetrata, reprehehendenda. Ergo, &c. Nonne bene tibi eſt, Hunni, quando vides informem tuam loquacitatem tam bellè ad formam eſſe redactam? Et nonnè rurſus male tibi eſt? quando ineptiſſimas tuas nugas, & nugaciſſimam vanitatem tam aperte ſentis eſſe detectam? Audi me breuiter, Hunni, & in forma reſpondentem: Nego

go maiorem, nego minorem, nego concluſionem. Maior falſa, & ineptiſſimè falſa eſt, quando à particulari vero progreditur ad vniuerſale, à peccatis quibuſdam ſufficienter reprehenſis, ad omnia: Quaſi verò Salomon, & Dauid, aut veteres illi, de quibus loquitur Irenæus, omnia peccata commiſerint, quæ circa religionem vnquam commiſſa ſunt, aut committi potuerunt. Minor etiam falſa, & bis falſa eſt. Nam nec omnia peccata Salomonis, & Dauidis, aut cæterorum veterum, in ſcriptura reprehenſa ſunt; multo minus reprehenſa eſſe dicit Iræneus, eo modo quo quædam eſſe reprehenſa affirmat, in ſpecie nimirum, & in particulari, objurgatis perſonis quæ peccauerunt: Nec vllum omnino peccatum, ſecundum Irenæum eo loco, ſufficienter in Scriptura reprehenſum eſſe dicitur, eo modo, quo vult Hunnius, omnia in Scripturis eſſe reprehenſa. Primo enim non ſimpliciter dicit Irenæus, ſufficere quoad peccata veterum Scripturæ correptionem, ſed cum reſtrictione atque ſecundum quid, *Veteribus*, ait, *ſufficere*, ne videlicet eis ſua peccata à nobis vlterius exprobrari debeant; vt ex dictis patet. Deinde Ireneus ne veteribus quidem ita ſufficere, ait, illam Scripturæ correptionem, quoad peccata, ſeu doctrinæ, ſeu cultus & morum, quaſi veteres ex Scriptura ſufficientem accipere potuerint probationem, ſeu inſtructionem, ea quæ male egerunt, velut contra Scripturæ regulam facta, peccata eſſe; quod iam putat Hunnius, & antea quoq; aduerſarij, ſuppoſita illa particula, *Probationem*, innuere voluiſſe videntur: Sed ſufficere Correptionem ſcripturæ ait, quoad reprehenſionem illam particularem, qua veteribus peccata iam *perpetrata* (ſiue contra legem DEI ἔγγραφον, ſiue ἄγραφον, de quo planè nil ibi diſputat Irenæus) diuinitus in Scriptura arguuntur, ipſiſque veteribus exprobantur, vt ex ipſis Irenæi verbis in Catholicorum reſponſo adductis euidens eſt. Quod rurſus ſole clarius etiam ex hoc elucèſcit. Cum enim Irenæus dixiſſet, ſufficere veteribus, *de his, quæ ſine conſilio Spiritus egerunt*, eam quæ ex ſcripturis eſſet Correptionem, mox ſubiungit: Cum enim non ſit perſonarum acceptor DEVS, quæ ſunt non ſecundum ejus placitum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

tum FACTA, HIS INFEREBAT congruam correptionem. Vbi audis,loqui Irenæũ de correptione,quæ peccata *facta* cõſequitur, non quæ præcedit,ne fiant: Vt plane manifeſtum ſit, non ſolum Hunnij purgationem, qua à primæ corruptelæ nota ſe,ſuosque vindicare conatur, nullam eſſe; ſed ei quoque aut cerebrum,aut conſcientiam defeciſſe,quando dixit,vocem *probationem* à ſe, ſuisue male ſuppoſitam,nihil ad ſuum inſtitutum valituram fuiſſe, at vocabulum *Correptionis maximè*: cum contrarium jam tum ex verbis ipſis,tum ex mente & ſcopo Irenæi ſit demonſtratum.

Sed quid jam ad alteram accuſationem reſpondet Hunnius, qua criminis falſi in præfatione arguuntur, dum pro voce *probationem*, in ipſomet contextu, Lauingani Protocolli reſtituerunt vocem *Correptionem*? Hìc ſanè breuiter ſe expedit Prædicans. *Cur non emendaſſent*, inquit, *σφάλμα, quod præter ipſorum mentem irrepſerat aliunde,quodq; non emendatum,nihil quadraſſet ad propoſitum,cujus cauſa locum Irenæi produxerant*? Sed hæc partim falſa,partim frigida eſt purgatio. Illud quidem, quatenus perſuadere nititur Hunnius, priorem illum errorem præter intentionem Prædicantium irrepſiſſe, quod improbabile eſſe ſuperius oſtendimus. Frigida autem, tum quia eò minus debuerunt vocem illam *probationem*, poſtea ſine conſenſu Catholicorum mutare, quò minus eam ad rem facere exiſtimabant. Tum quia ſiue hæc, ſiue illa vox ad inſtitutum Prædicantium faceret, certè nullo jure poterant, erratum iam à Catholicis in Protocollo taxatum,ipſis inſcijs,contra publicam Protocolli fidem emendare, vt ſuperius dictum eſt, & quiſque prudens lector facile intelliget.

Iam ad alteram corruptelam in præfatione aduerſariis obiectam,quod attinet: Hunnius quia forte videbat, fruſtra ſe lauare Æthiopem, accuſationem illam non tam ratione purgare, quam fuſtibus repellere nititur. *In hoc altero exemplo*, inquit, *præfator manifeſtum Sycophantam agit. Nôrunt omnes, propter ſimilitudinem litterarum,facile potuiſſe pro V, poni ab Amanuenſi litteram A. Vnde quod ſcriptoris vitio tribuendum erat, hic impoſtor, per nequitiam fuſtibus corrigendam,ipſiſmet impudenter affingit collectoribus,vt eis ſuſpicionem malæ fidei concilies.*

Sed

Sed bona verba Hunni.ſuſtuariam enim ſubibis ipſe citius, quam ex Catholicis quenquam in hac cauſa ſubire cogas. Et primo quidē non hic agitur, quid fieri potuerit, ſed quid factum ſit. Dedita autem opera in illo teſtimonio Lactantii, de quo agimus, vocem DICTA à vobis ſuppoſitam eſſe, ex toto contextu verborum, & ſcopo ac fine, ob quem teſtimonium illud à vobis allatum eſt (nullam alioqui ſpeciem probationis ad eam rem habiturū, ſi ſecus legeretur) vehementiſſima oritur ſuſpicio; quæ nō ab ipſo primum præfatore hauſta, ſed dudum antea à Catholicis concepta, & in reſponſo ad teſtimonium illud Irenæi expoſita eſt his verbis. *Ad ſecundum (* Lactantii *) reſpondetur; non loqui illic Lactantium de ſcripturis, ſed generatim de doctrina diuinæ ſapientiæ, in qua omnia, inquit, dictu prona ſunt, auditu ſuauia, facilia intellectu, &c. Vbi aduerſarij pro* DICTV, *malè ſcripſerunt* DICTA, *vt ſcilicet hunc locum ad Scripturam contorquerent.* Prot. Monac. pag. 194. Ita Catholicorum reſponſio Protocollo illata. Deinde eſto, fuerit ille Amanuenſis error: at enim ne tunc quidem, poſtquam publico ſcripto à nobis notatus erat, ſine Catholicorum conſenſu, in ipſomet contextu Protocolli emēdari debebat; non ſolum ne ipſi adverſarii ſibi in propria cauſa cum præiudicio partis ius dicerent, ſed etiam vt fides Protocolli vndequaq; ſalua, & illæſa conſiſteret. Sed cum de hac re in examine Hunnianæ relationis à me quoq; actum ſit, ſuperſedeo pluribus.

CAPVT II.

DE QVERELA HVNNII CONtra Relationem Tanneri, atq; de inſolito, & inordinato modo diſputandi Prædicantium.

Textus præfationis.

SECVNDVM: Acta hæc ſine vllis notis ideo edi, vt quid dictum, factumq́; ſit, planius, & clarius eluceſcat, animo legentis, non in aduentitijs explicationibus, ſed in ſola vtriusq́; partis oratione occupato. Si quid obſcurius videbitur, ejus explanandi non deerit alia occaſio, (quam & ſibi Prædicantium Neoburgenſium Collega, quoad ſua, reſeruatam cupit in ſua Relatione de Colloquio, cui ſi placet, hoc itidem exprobrare poterunt Neoburgenſes) vt & refellendi illius, ſi quid ab aduerſariis adductum, intactum forte alicui permanſiſſe videbitur. Hoc enim tametſi vix vnquam acciderit, quando aduerſarii quippiam ad inſtitutum pertinens adferebant, facile tamen euenire potuit, aduerſariis non breuiter & conciſè diſputantibus, ſed prolixas declamationes, variis abſurditatibus plenas, texentibus (vt hoc ipſum tibi Protocollum, Lector, prolixè teſtabitur) quas vniuerſas memoria comprehendere, difficile etiam accidat illi, qui memoria multum valet: niſi quis nouo diſputandi modo, arrepto calamo, ſcribæ inſtar, ſingula diſſerentis verba excipere, chartæque mandare velit, quod ab oppoſitæ partis Collocutoribus, ipſiſmet non diffitentibus, factum.

Quod vero Collocutores etiam Catholici inter reſpondendum, dum aduerſariorum vanitatem, & abſurditates detegerent, interdum prolixè ſatis, & copioſius, quam aduerſariis placuit, dixerint, id neceſſario, & aduerſæ partis culpa factum eſt, cum ea nunquam ad hoc adigi poſſet, vt ſingula argumenta ſeorſim, & ſeparatim proponeret, & diſtincte ſingula examinandi copiam faceret; licet hoc ipſum non ſemel fuerit poſtulatum, inprimis autem ſeſſione 2. & 4. Quin potius, vt eo major rerum omnium eſſet confuſio, & velut informe quoddam chaos argumentorum conflaretur, quo Catholicos ſaltem conturbandos, ſi non conuincendos ſperabant, non rarò vterque Prædicans,

cans, nec interpolatis vicibus, nec vlla interim Catholicorum reſponſione interpoſita, imo ne admiſſa quidem, contra vnum Collocutorem Catholicum prolixe declamitando argumentatus eſt. Et quamuis ad ejuſmodi φλυαρίας diſijciendas minimum aliaqui temporis ſpacium ſufficere potuiſſet, tamen non minimo tempore opus erat, vt omnes ejuſmodi quantumuis inanes nugæ reſumerentur, ne alioqui aduerſariis occaſio daretur, impudenter clamitandi (quod jam etiam nulla occaſione data fecerant) Catholicos reſpondere nihil potuiſſe, conuictos teneri, &c.

APOLOGIA.

AGNOSCIT Hunnius Protocollum Monacenſe ſine vllis notis editum. Sed illud eius cor miſerandum in modum cruciat, quod *non ſine præfatione, nec*, vt ait, *ſine Tanneri Relatione* id curauerimus edi, & publicari, aut cuiquam diuendi; cum ſeparatim quidem edi licuerit. At præfationes, & Relationes ipſi Protocollo annectere, quæ, vt ait Prædicans, Protocollum cogant aliud loqui, quã verba ſonant, quam fides hiſtoriæ permittit, intolerabile videtur Hunnio; illudq; in ſua Præfatione, *ex deſperata cauſa conclamata diffidentia* factum, calumniatur.

Sed de Præfatione ſupra iam abunde reſponſum eſt: quod ad Relationem attinet, bene eſt, quod Hunnius ſeparatim eam edi licuiſſe, concedit. Et quînam id prohiberet, quando, tot pſeudoeuangelicæ Relationes ab Hunnio, à Rungio, à Cramero, à Magdeburgenſibus, paſſim in imperio ſparſæ, & diſſeminatæ ſunt, & adeo quidem veraces, vt ipſemet Hunnius contra vnam ex illis Magdeburgi editam, ne ſibi imputaretur, opus habuerit proteſtari.

Atqui Relationem meam Protocollo ita à nobis annexam fuiſſe, hoc dolet Hunnio. Et meritò ſane dolet Prædi-

cans. De ſuo enim mendacio dolet. Hunnianum enim figmentum eſt (quod paſſim etiam in ſuo Apologetico repetit) Relationem illam Protocollo à nobis uelut indiuiduũ comitem, ſine quo id diſtrahi non poſſet, adiunctum. Teſtis huius rei locupletiſſimus eſſe poteſt, non ſolum Typographus Monacenſis, è cuius prælo vterq; ille liber prodiit; ſed etiam Bibliopolæ exteri, quantumuis à fide Catholica alieni, quibus tota librorum ſumma à noſtro Typographo diuendita eſt. Hi teſtabuntur, ſibi integram fuiſſe facultatem relictam, libros illos, vel coniunctim, vel ſeparatim diſtrahendi. Sicut etiam hanc ob cauſam relatio ita à Protocollo ſeorſim edita fuit, vt etiam ſingulatim vtrumq; & emi, & legi poſſet. Quicquid ergo ex hac parte fecerint Bibliopolæ exteri, quod jam factum calumniatur Hnnnius, id plane nec Sereniſſimi Principis iuſſu, nec Ieſuitarum priuato ſtudio, nec omnino mea voluntate fecerunt, vtpote qui cum idipſum Bibliopolam Sereniſſimi Principis imperio non ſubiectum ſui commodi cauſa ſponte facturum eſſe intellexiſſem, diſertè conſilium improbaui, & quantum in me erat impedire ſtudui: cùm eo ipſo conſilio, ne Prædicantes factum calumniarentur, tum etiam, vt cum vtrumq; tam Protocollum, quam Relatio per ſe etiam, ac ſeparatim ad calumnias, & mendacia Prædicantium diſſipanda, ſatis magnã vim habere viderentur, latius eorum fructus diffunderetur.

Verum enim vero ſi id maximè factum fuiſſet, quod factum eſſe, & falſo dixit, & vere dolet Prædicans; quid oro hîc reprehenſione dignum? *Diffidentiam eſſe*, ait, *candoris expertem*; at ego confidentiam ſynceriſſimo candore plenam. Talem ſcilicet ſcripſiſſe Relationem, non quæ lucem fugeret, anguloſq; ſpectaret; Sed quæ ipſius potius authenticæ veritatis lucem è Protocollo radiantem quæreret, quæq; iudicium æqui lectoris è Protocollo ferendum ambiret, non timeret. Et hoc diffidentiæ ſignum Prædicans? Veſtræ certè, non noſtræ.

Vobis enim grande quippiam videbatur, nondum edito Protocollo, mendaciſſimis Relatiunculis paſſim in nos graſſari, & inter veſtros dominari, ac neſcio quos in aëre pictos agitare triumphos, tam parum Protocolli lucem exoptantes, quam facilè ex eo vanitatis erant arguendi.

Sed

Sed quam illud iam quoque me recreat, quod hic rurſus querula voce repetit Prædicans, nos videlicet noſtris præfationibus, & Relationibus Protocollo annexis *Protocollum cogere aliud loqui, quam verba ſonant, quam fides hiſtoriæ permittit.* Vel hinc certè quiſque intelligit, quam ſint vera illa, quæ de victoria ſua ex Protocollo cognoſcenda, adeo magnificè iactabant Prædicantes.

Illud tamen Hunnii luctum nonnihil ſolari videtur, quod *Tannerus*, vt ait, *ad plurima ſibi in Colloquio objecta ne ſubſecutis quidem ſcriptis reſpondere* potuerit. Cap. 13. & 14. Vnde etiam in ſuo Apologetico cap. 2. eius generis paralipomenôn catalogum confecit. Sed agedum, mi Hunni, lætare dum potes, & quaſi Chamæleon mẽdacii vento paſcere: quam enim vana ſit hæc iactantia, mox infra manifeſtum fiet, quando ea ipſa, quæ Prædicans à nobis in colloquio omiſſa iactat, in abſurdis Prædicantium recenſebimus. Reſponſum certè eſt in colloquio ad ea, quæ Prædicantes, dum argumentãtium munus obirent, obiiciebant omnia, adeo vt ne quicquam noſtram memoriam effugere poſſet, nonnunquam etiam *de prætermiſſis amice moneri* petiuerim. Prot. Monac. pag. 112. Vt vero etiã ad quaslibet nugas, quas dum reſpondendi munere fungerentur, ſolo tergiuerſandi ſtudio obtrudere ſolebant Prædicantes, reſponderemus: id nec cordi nobis fuit, nec eſſe debebat. Etſi quidẽ hoc vnicũ erat Prædicantium votum, vt noſtris argumentis relictis, eorum nugas conſectaremur, ſicq; adeo in reſpondentes transformaremur, quibus argumentandi munus competebat. Similiter quoq; in Relatione mea propoſitum mihi fuit, ea quæ in colloquio vtrinque dicta fuerant, fideliter referre; non alia confingere. In examine Hunnianæ Relationis, omnia quaſi de verbo ad verbum, quæ in ſua Relatione protulerat Hunnius, & retuli, & refutaui. Et vbi tu Hunni hoc auſus es facere circa meam Relationem? ex qua quidem hinc inde quædam carptim perſtrinxiſti, ſed totam eius ſeriem ordine inſequi auſus non es.

Circa ſcriptitationem Prædicantium, cuius in Præfatione fit mentio, negat Hunnius, ſe ſuumq; collegam SINGVLA *differentis* (aduerſarii) *verba excepiſſe, chartæq; mandaſſe. Hoc enim*, ait,

Digitized by Google

purum, putum eſſe, manereq́ mendacium. Sed quam ſtolidè acutus eſt Hunnius. Vim ponit in voce, SINGVLA, quam etiam idcirco maiuſculis exprimi curauit. Fortè enim aliquando verba *ſingula* non excepit, quia *ſingula* aſſequi ſcribendo quandoque nõ poterat. Forte etiam quædam verbula ſubinde non audiebat. Ita profectò facile admitto, nec Hunnium, nec Hailbronnerum, nec cæteros Prædicantes, quantumuis aſſidue caput ad menſam affixum haberent, & calamum in charta ducerent; nec ipſoſmet etiam Notarios (quod ineptè obiicit Hunnius) SINGVLA diſſerentium verba excepiſſe; tunc præſertim, quando à nobis ad calamum non dictabatur, id quod iſti etiam in Protocolli ſubſcriptione teſtatum fecerunt: neque hoc ſenſu ea Protocolli verba quiſquam ſanus intellexerit. At vero Hunnium, atque Hailbronnerum (vt de reliquo Prædicantium cætu taceam) non ſtuduiſſe, quantum aſſequi poſſent, ſingula noſtra diſſerentium verba excipere, id plane *purum, putum eſt, manetq́ mendacium.* Certè quoties mihi inter argumentandum ctigit, Hunnium, aut Hailbronnerum inſpicere, ſemper eos, non minus, quam Notarios ipſos prono ad menſam capite, pennamque manu trahentes aſpiciebam. Neque opus eſt hic multis teſtibus, quando res hæc ex ipſo Protocollo fieri poteſt teſtatiſſima. Cum enim in Seſſione 10. contra Hunnium, vnam ac eandem concluſionem, ſemel & ſimul duplicato argumento intuliſſem, idque ipſum ab Hunnio reſumi poſtulaſſem, his verbis: Repete vtrumque meum argumentum: mox Hunnius, quoniam id, vtpote à me ad calamum non dictatum (vt nec cætera poſt octauam Seſſionem) in chartam ſuam nondum coniecerat, ſe excuſando reſpondit. *Ego non poſſum omnia ex tempore notare, & reſumere.* Vbi aduertit lector, curæ fuiſſe Hunnio, ea quæ à nobis dicebantur, prius notare omnia, nec niſi notata ab eo reſumi potuiſſe. Quod quidem cum acciderit, nobis ad calamum noſtra non dictantibus, idque circa argumentum, quod ſex aut ſeptem lineas non excederet, quanto accuratius noſtra cõſcripſiſſe Hunniũ exiſtimandũ eſt, tũc, cũ ad calamum dictaremus, & nõ minus prolixas reſpõſiones (quas nũc Hunnius vocat extravagãtes, ſed melius dixiſſet cõtravagantes, quia contra vagan-

Prot. Monac. pag. 282.

vagantes Prædicantes ſolide pugnabant) neceſſario texeremus, quàm fuerant aduerſariorum objectiones, vt in quarta, quinta, ſexta, ſeptima, & octaua Seſſione accidit. Quomodo verò interim dum ſcriberent, de reſponſione danda cogitare potuerint aduerſarii (quod nunc obiicit Hunnius) ipſe viderit. Equidem exiſtimo, reſponſiones aduerſariorum tam præmeditatas non fuiſſe, vt eos idcirco oportuerit quaſi per Exſtaſin à corpore alienari; quanquam eos nonnunquam à mente alienatos fuiſſe, illæ ipſæ ſatis demonſtrent.

Circa aduerſariorum inordinatam, atque incompoſitam diſputandi rationem in præfatione notatam, qua nimirum argumenta plura ſimul, & nullo ordine à pluribus, nulla etiam noſtrorum reſponſione interpoſita, proponebantur, ait Hunnius, argumenta principalia ſeorſim eſſe propoſita. At quis principalia ſimul à vobis eſſe propoſita dixit? Duos etiam, & plures nonnunquam dies in vno argumento veſtro principali hæſiſtis, atque ita tribus argumentis veſtris principalibus octo Seſſiones combuſſiſtis; & ſimul omnia tria propoſueritis? At quibus declamationibus reliquum tempus triuiſſetis? De his ergo in Præfatione non eſt ſermo: quanquam nec iſta ſeorſim ſemper ita propoſuiſtis, vt à ſecundariis ſeiuncta adduceritis: vt patet in Seſſione 4. quando adducto argumento principali, mox eius minorem propoſitionem operoſiſſimè, ſed fruſtra probabatis, cum maior, non minor neganda eſſet. Prot. Mont. pag. 65.

De cæteris argumentis, quoniam in eis ſcripturæ teſtimoniis agendum eſſet, reſpondet Hunnius, non potuiſſe *exanguem illam diſputandi rationem obſeruari*, quam efflagitabant Ieſuitæ, vt videlicet ſingula ſeorſim, & ſeparatim proponerentur. Quaſi verò Scripturæ teſtimonia non poſſint ſingula ſeparatim & excuti, & proponi. Intueantur quæſo Prædicantes eam, quam toties in ore habẽt, diſputationẽ Chriſti cum diabolo, & videant, an Chriſtus plura ſimul Scripturæ teſtimonia ſine ordine coaceruârit, an vero ſingula ſingulis congreſſibus attulerit, ſeruata quoad propoſitum forma Ieſuitica; quam forſan exanguem vocat Hunnius, per Metonymiam, vt pallida mors à poëtis dicitur, quia Prædicantes fecit exangues.

Quod

Quod Prædicantes non interpolatis vicibus ambo nõnũquã argumentati fuerint, fatetur primo Hunnius his verbis, *Quia ſermone non interrupto contra Doctorem Hailbronnerum, & me diſſerebat aduerſarius, aequum fuit, vt non interpolatis vicibus audiremur.* At mox infra, neſcio quo vertiginis ſpiritu in calumniam actus, ait, *calumniam, & Sycophanticum eſſe, quod de non interpolatis vicibus, nec vlla interim Catholicorum reſponſione interpoſita, imo nec admiſſa, in præfatione dicitur.* Quod tamen adeo verum eſt, vt vehementer admirer, Hunnium id negare voluiſſe. Conſtat enim à ſeſſione 4. vbi hoc Prædicantium conſociatum ſtudium cœpit, vſq; ad octauam ſemper quaſi bis argumentando locutos aduerſarios, antequam noſtri reſpondendo ſemel loquerentur, etſi à me aperte nonnunqtam poſtulatum fuerit, vt inter nos dicendi vices identidem mutarentur, ut inprimis patet ex Seſſione 4. in qua mea verba hæc ſunt: *Maluiſſem quidem & ſanè debuiſſem ſecundum normam recte diſputandi, & nobis quidẽ ipſis propoſitam, ſingulátim, & ſeparatim ad clariſſimi domini objectiones, & argumenta, ſeu potius oblocutiones reſpondere, & quo minus hoc fieret, in me ſanè, aut noſtræ partis Theologis nulla cauſa fuit. Quod enim dicunt plura ſimul à me dicta eſſe in reſponſione, & Relatione propoſitorum initio argumentorum, id vero ideo ſolum factum eſt, quod domini, cum ſua argumenta initio proponerent, ſeparatim ſingula proponere non volebant, neq; ſinebant ſingula ſeparatim, ac ſeorſim vnum poſt alterum reſumi. Quia tamen ita accidit, vt ad vtriuſq; objectiones mihi jam reſpondendum ſit, &c:* Hæc ad verbum dicta ſunt, nec his ab Aduerſariis quicquam contradictum. Similiter cum Hunnius partim ſeſſione 6. partim in 7. prolixiſſime declamitaſſet, atq; ego eadem ſeſſione 7. ei reſpondere vellem, his verbis initium faciens *Peto me jam etiam audiri; ego enim ſum reſpondens*; nihil planè obtinui, ſed opus erat etiam alteram declamationem Hailbronneri prius audire, quam ad Hunnii objecta ullũ verbum reſpondendo promere poſſem. Et tu, Hunni, hoc audes negare? rem publice in omnium conſpectu geſtam? in Protocollo tam expreſsè deſcriptam? publica fide teſtatam? omnium oculis ſubiectam? & non tantum negare audes, ſed calumniam etiam, & ſyncohanticum vocas? Sanè viderit Hunnius, cui imposterum fidem ſuam probet.

Calum. Hunn.

Prot. Mon. p. 74.

Prot. Monac. pag. 123.

CAPVT

CAPVT III.

DE DICTATIONE AD CAlamum Prædicantibus in Colloquio conſueta: atq́ de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ratione, tum ex Catholicorum, tum ex aduerſariorum ſententia.

Textus præfationis.

TERTIVM. *Collocutores Catholicos verba ſua ad calamum Notariis non dictaſſe, præſertim primis & poſterioribus diebus : id quod etiam ſubſcriptiones Protocolli teſtatum faciunt : neq́ enim ad dictationem, ſed diſputationem ſe vocatos arbitrabantur. Aduerſarios autem non modo argumenta ſua (tria, vt ipſimet fatentur, hoc eſt, omnia, cum plura principalia, quam tria, in toto colloquio, non numerarint) jam antea in librum relata, ex eodem libro ad verbum, conceptis verbis, recitaſſe; ſed cum illis, tum aliis proponendis, non paulo tractiorem, & lentiorem vocem adhibuiſſe (quod dum non abnuunt, rectè faciunt Neoburgenſes Prædicantes) quam ſoleant diſciplinarum profeſſores, cum in ſchola Auditoribus ex cathedra dictata tradunt : quod quanti tædij plenum fuerit, quilibet his in rebus non hoſpes intelligit. Quod autem diligentiam illam ſuam laudi ſibi ducunt aduerſarij, id nemo eis inuidet. Catholicis interim laudi eſt, etiam abſq́ diligentia illa viciſſe Prædicantes vel diligentiſſimos, & quidem* vulgaribus & pridem protritis illis (*vt ipſi ajunt*) gloſſis & argumentis ex ratione guber-

 natio-

nationis Rerumpub. deſumptis; *quæ omnia, ſcilicet,* ſolo CHRISTI dicto, quo regnum ſuum de hoc mundo non eſſe, *hoc eſt, ſi Prædicantibus credimus, ſine ordine, ſine politia, ſine vno, viuo, & ſummo capite in terris, atq; ita regnorum omnium perturbatiſſimum* aſſerit, penitus euertuntur. *Et quis hoc non credat?*

APOLOGIA.

CIRCA dictationem ad calamum, quam & Prædicantes abſq; vlla lege cœperant, & tandem contra apertas leges Principum ſemper continuarunt; negat rurſus Hunnius, *tam lentè & tractim ſe locutos eſſe, vt in Scholis Profeſſores, quos vnum idemq; ſemel atque iterum conſtat repetere; neque hoc faſſos eſſe Neoburgenſes.* Verum de quibus ſcholis loqueris Hunni, an de Grammaticis, in quibus cum pueri adhuc diſcant ſcribere, idem fortaſſe ter à Præceptore repetitur? Sed de his non loquitur Præfatio. An de ſuperioribus Philoſophiæ & Theologiæ? At qui in his ſcholis apud nos verſantur, teſtabũtur, ſe in ſcribendo ita minime aſſuefactos, vt à Profeſſore idem bis repetendum, atque adeo ter prælegendum ſit? ſemel aut bis dixiſſe ſatis eſt. Neque vero in hoc conſiſtit dictatio ad calamum, vt ſemel, aut ſæpius idem repetatur, cum facile major etiam temporis mora in vnica pronunciatione conſumi poſſit, ſi multum protrahatur, aut ſaltem magna fiat cunctatio, dum ad ſequentem orationem dictandam procedatur, quàm in ſæpius iterata eiuſdem orationis pronunciatione. Et vero hoc ipſum, quod noſtri Notarij (quibus tuum Gauglerum celeritate præfers) aliquando proteſtabantur, ſe ſingula veſtra verba aſſequi non poſſe, ſatis indicat, tum alias valde tractim à vobis omnia dictata, tum etiam ſemper vobis propoſitum fuiſſe, vt omnia dicta veſtra ad verbum exciperentur. Alias enim minimè proteſtati fuiſſent, cũ ſæpius apud nos profeſſi fuerint, ſenſum

corum

Digitized by Google

eorum quæ dicerentur, non difficulter ſe ſcripturos, etiã remota illa moleſtiſſima dictandi ratione. Itaq; hoc ipſum teſtimoniũ Notariorum noſtrorum quod ad infirmandam Præfationis veritatem in hac re profert Hunnius, eam egregie confirmat. Sed de hac re plura in examine Hunnianæ Relationis cap. 23.

Quod attinet ad Eccleſiaſticæ Hierarchiæ regimen, de quo in Præfatione fit mentio, non vult Hunnius videri ex ſua parte tale conſtitui, quale in Præfatione deſcriptum eſt, *ſine ordine* videlicet, *ſine politia, ſine vno, viuo, & ſummo capite in terris, atq; ita regnorũ omniũ perturbatiſſimum.* Quocirca jubet præfatorẽ *in malam crucem abire, Satanamq; cum ejuſmodi mendaciis diabolicis faceſſere. Ordinem*, ait, *eſſe in Eccleſia, non quem Suitæ ſibi præconcipiunt, ſed quem DEVS ordinauit.* Poſſem quidem pari compendio jubere Hunnium cum hoc diabolico mendacio faceſſere. Sed melius eſt, vt rei inſiſtamus, & caput calumniatoris leniter fricemus, eiq; ſua quæ in colloquio effutiuit pronunciata circa Eccleſiaſticam Hierarchiam in memoriam revocemus, quam ad Satanam ablegemus.

Cogita ergo quæſo te, Hunni, annon in colloquio hæc pronunciata pertinaciter defenderis. I. Nullum eſſe à Deo magiſtratum viuum & viſibilem in Eccleſia conſtitutum, qui in controuerſijs fidei, aut Religionis quæſtionibus, abſolutam judicandi, & decernendi poteſtatem habeat, ita vt eius ſententiæ Eccleſiæ ſubditi, abſolutè abſq; vlla tergiuerſandi, aut dubitandi facultate, ſtare debeant. Seſs. 9. & 13. paſſim

II. Nullam in Eccleſia authoritatem viſibilem ac viuentem conſtitutam eſſe, cui ſimpliciter infallibilis definiendi poteſtas conceſſa ſit. Ibid.

III. Partes contrauerſantes, aut cæteros etiam Eccleſiæ ſubditos, in dubio aliquo Religionis, nec poſſe, nec debere etiam depoſito dubio, ſui Magiſtratus Eccleſiaſtici ſententiæ ſe conformare, eamque ſine vlteriore examine ſequi. Seſsio. 9.

IV. Partes eaſdem controuerſantes, etiam audita ſententia ſupremi Magiſtratus Eccleſiaſtici viſibilis in terris, poſſe talem ſententiam adhuc ſub examen Scripturæ, & in dubium

Digitized by Google

vocare, & ſi à verbo Dei diſcrepare videatur liberè poſſe, imo e-
Seſs.9.13.14. tiam debere diſſentire.

Ibid. V. Idipſum etiam pari cum poteſtate poſſe & debere facere quemuis Eccleſiæ ſubditum, atque adeo ſutorem, Sartorem, Ruſticum. Vnde euidenter ſequitur, ſubditos poſſe & debere fieri iudices ſuorum judicum, adeoq; ſui legitimi Magiſtratus, nec amplius ei credere, vel obtemperare debere, quam quantum eis inſpecta, & conſiderata Scriptura, credendum eſſe videatur.

VI. Et nihilominus tamen Magiſtratum politicum poſſe publicis decretis cogere ſubditos, vt ſententiam à paſtoribus latam ſequantur, etſi nec paſtores, vt aduerſarii aiunt, habeant infallibilem authoritatem docendi, ac definiendi, nec ſubditi eti-
Seſs.9.&c. am abſolutè teneantur eorum ſententiæ acquieſcere.

Dic ſodes, Hunni, an non hæc ſunt veſtra pronunciata, ſæpius in colloquio magno ſtudio propugnata? Nonne hîc ille veſter eſt ordo? Bellus & pulchellus ordo? A DEO, ſcilicet, conſtitutus, & plane diuinus ordo? Imo nullus ordo, ſed Babylonica confuſio, ac ſempiternus horror? Adesdum Hunni, & hæc nega, ſi potes, ſi non potes, cur tu, *inimice omnis veritatis*, audes vocare *diabolica mendacia*, quæ veriſſimè aſſeruit præfatio, talem à vobis in Eccleſia Hierarchiam conſtitui, in qua *nullus* ſit *ordo*, *nulla politia*, *nullum ſummum, ac viuum in terris caput.*

Cogitet quæſo prudens lector, quiſquis eſt, qualis, & quam ordinata futura eſſet illa Reſpub. ciuilis, in qua DEVS circa controverſias, reſeruata ſibi ſoli abſoluta iudicandi poteſtate, leges quidem omnino iuſtas ſatis copioſè fixiſſet, ſcriptaſq; Reipub. tradidiſſet; quin etiam præterea poſuiſſet aliquos in ea præfectos & Duces, quorum ſententia à partibus diſceptantibus eſſet exquirenda, ſed noluiſſet tamen ipſas partes ad eorum ſententiam, abſolutè, & ſine vlteriore diſceptatione amplectendam, obligatos eſſe: Quin potius iuſſiſſet, vt talem ſententiam ipſæmet partes ad normam præſcriptarum legum examinarent, cum qua ſi eam minus conuenire iudicarent, tunc libere in diuerſam abire ſententiam, adeoque ſuo iudicio viuere & agere poſſent: & nihilominus tamen juſſiſſet, vt Prætor eius Reipub. ſi judicum ſententia iuſta

ſibi

Digitized by Google

ſibi videatur,poſſit & debeat,tum ipſas partes controuerſantes, tum cæteros ſubditos omnes,quicquid tandem ipſis videatur, ad judicum ſententiam complectendam,publicis decretis & pœnis ſuo modo compellere.Dic quæſo te,lector,quid tibi videretur de tali Repub.an bene ordinatam diceres? an à DEO ſic ordinatam eſſe credere poſſes? An non quiſquis talem ordinem in Repub. à DEO conſtitutum eſſe diceret, tibi grauiſſime DEVM blaſphemare videretur? eumq; aut imprudentiæ arguere, qui ſapientiſſimus eſt, aut maleuolentiæ, qui benigniſſimus? Illud quidem,ſi meliorem ordinem excogitare forte non potuit;hoc,ſi non voluit.Et tamen aduerſarii hunc ipſiſſimum ordinem, ſeu potius confuſionem,in Rempub. Eccleſiaſticam circa res & controuerſias ſummas fidei, à quibus æterna animæ noſtræ ſalus dependet, inuehunt: Vt cuiq; planum fiet,Rempub. illam politicam cum Eccleſiaſtica,leges politicas cum ſacraScriptura,Præfectos & Duces cum Prælatis & animarum paſtoribus, Prætorem cum Magiſtratu politico,iuxta ſupra dictam Prædicantium doctrinam, conferre volenti.

Nos vero de DEO in bonitate ſentire docti, aliter credimus. I. fatemur Chriſtum Dominum eſſe,ac manere vnicum, verum, viuum, ac ſummum Eccleſiæ caput:cui nullum in terris aliud poteſtate, authoritate,vel dignitate æquiparamus.

II. Agnoſcimus verbum DEI ſcriptum, pro certa ac infallibili norma fidei ac Religionis,quam omnes ſtudioſè ac reuerenter obſeruare teneantur.

III. At quia de ipſamet Scriptura, eiuſq; ſenſu,controuerſiæ plurimæ in Eccleſia oriri poſſunt, neq; Chriſtus in terris viſibilis conſpicitur,neq; circa exortas eiuſmodi controuerſias, immediatè & per ſe ipſum, aut etiam per Scripturam, publicam & perſpicuam aliquam ſententiam ita profert, vt pars vtraq; diſceptans perſpicuè nôrit,altera quidem,ſe, quantum eſt ex parte eius Iudicis,cauſa cecidiſſe; altera, ſe cauſâ obtinuiſſe;vt ipſimet Prædicantes in colloquio fateri coacti ſunt; idcirco iuxta apertam Euangelii doctrinam credimus,eum,cum adhuc in humanis ageret,tantum de plenitudine ſuæ poteſtatis,& authoritatis in Apo- Prot.Monat. pag.220.& 221. &c.

 ſtolos

ſtolos deriuaſſe, quantum ad ſuauiter regendam,& feliciter con-
Matth. 24.25. ſeruandam Eccleſiam opus eſſet. Ideo enim ipſi dicuntur *ſerui fi-deles*, quos conſtituit dominus *ſuper familiam ſuam*.

IV. Quin etiam vt regimen hoc Eccleſiaſticum & ad ſupremæ illius ac diuinæ monarchiæ normam propius accederet, & quoad præſtantiam & commoditatem ſynagogæ Iudaicæ non cederet, in qua vnus tantum erat lege diuina ſacerdos ſummus, quem omnes cogebantur agnoſcere eique parere, vt fatentur ipſimet Magdeburgenſes, neúe regnum CHRISTI in terris, quod ipſo quidem adhuc in terris ſuperſtite, monarchicũ fuiſſe nemo dubitat, poſtea in aliam formam ſubito tranſmutatũ dicere oporteat, gratiſſima mente agnoſcimus, S. Petrum, velut in Eccleſiaſtico regimine Chriſti Vicariũ, cæteris Apoſtolis omnibus præpoſitũ, eiq; cum ordinaria ſucceſſione vniuerſæ Eccleſiæ generalem curam fuiſſe commiſſam. Hanc enim poteſtatem à Chriſto promiſſam Petro credimus & legimus his verbis. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam & portæ inferi nõ præualebũt aduerſus eã. Et tibi dabo claues regni cœlorũ, & quodcunq; ligaueris ſuper terrã, erit ligatũ & in cœlis, & quodcunq; ſolueris ſuper terrã erit ſolutum & in cœlis.* Quam etiam adeo magnificam promiſſionẽ rurſus confirmatam à Chriſto (non obſtante mox ſecutura Petri negatione) teſtatur S. Lucas. Quando Chriſtũ his verbis ad Petrũ loquentem refert: *Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos ut cribraret, ſicut triticum; ego autem rogaui pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Eandem vero poteſtatem S. Petro de facto collatam fuiſſe à Chriſto iam jã ex hoc mundo ad Patrem diſceſſuro, non ſine accurato examine præuio, (quo dignitatem quaſi & conditionem illius exploraret, apud S. Ioannem legimus, qui ſolennẽ hanc traditionẽ accuratè deſcribit his verbis: *Cum ergo prandiſſent dicit Simoni Petro Ieſus, Simõ Ioannis diligis me plus his? dicit ei, etiam Domine; tu ſcis, quia amo te. Dicit ei, paſce agnos meos. Dicit ei iterum, Simon Ioannis diligis me? ait illi, etiã Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei paſce agnos meos. Dicit ei tertio, Simon Ioannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? & dixit ei Domine, tu omnia ſcis, tu ſcis, quia amo te. dicit ei*

Deuter. 17. Centur. 3. lib. 1. cap. 7.
Matth. 16.
Luc. 22.
Ioann. 21.

paſce

paſce oues meas,&c. Vbi quid tanta proſopopœia & ſolẽnitate, quid adeo repetitis vocibus, adeo ſingulari examine opus erat, ſi Chriſtus non vniuerſalẽ & planè ſingularẽ Petro totius ſui gregis curã cõmittere voluiſſet? Poſſent ad eandẽ rem confirmandã ſexcenta teſtimonia ex Patribus, & omni hiſtoria proferri. Sed quos diuina adeoq; aperta Chriſti verba non mouent, humana quando mouebunt? cũ præſertim & hæc, & illa centies à noſtris luculentiſſime ad hanc rem confirmandam ſint producta. Cyprianũ tamen prætermittere non poſſum, qui ſimul & friuolã obiectionẽ aduerſariorum refellit, & noſtram ſententiam confirmat. Sic enim ait: *Super ipſum vnum* (Petrum) *ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionẽ ſuã parẽ poteſtatẽ tribuat: & dicat, ſicut miſit me pater, & ego mitto vos, accipite ſpiritum ſanctũ, ſi cui remiſeritis peccata, remittuntur illi, ſi cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnã cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant vtiq; & cæteri Apoſtoli* (in quantũ ſcilicet præcisè Apoſtoli) *quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis: ſed exordiũ ab vnitate proficiſcitur.* PRIMATVS PETRO DATVR, *vt vna Chriſti Eccleſia, &* CATHEDRA VNA *monſtretur. Et paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur, qui Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur.* Et infra: Hanc Eccleſiæ vnitatem, inquit, qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui cathedram Petri ſuper QVAM FVNDATA EST ECCLESIA deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Cyp. lib. de vnitate Eccleſ. cap. 3.

V. Horum autem omnium poteſtatem ſiue authoritatẽ, etſi Chriſti poteſtate immenſis ſpacijs inferiorẽ, quin etiam ab hac dependentem, & certis terminis circumſcriptam libenter agnoſcimus: ſimul tamen credimus, eam in publica doctrina fidei ac Religionis toti Eccleſiæ proponenda, atque adeo etiam in dubijs fidei quæſtionibus definiendis penitus infallibilẽ eſſe: vtpote cũ Chriſtus Eccleſiam, eiuſq; Præpoſitos ſine reſtrictione audiendos præceperit: quibus etiam promiſit ſpiritũ ſanctum, à quo *doceantur omnem veritatem*, quin etiã ſeipſum vſq; ad conſummationem ſeculi adfuturũ pollicitus eſt: quos etiã Deus poſuit *in Eccleſia in* Matth. 18. Luc. 10. Ioan. 16. Matth. 28. Epheſ. 4.

ædi-

ædificationem corporis Chriſti, ne circumferamur omni vento doctrinæ:
Matth. 28. Eph eſ. 4. Quæ ſanè omnia conſiſtere non poſſent, niſi authoritas illa, vt diximus, planè infallibilis eſſet.

VI. Hinc autem conſequitur, ſubditos Eccleſiæ non poſſe, ſuo arbitrio, publica paſtorum ſiue Eccleſiæ decreta, vllo modo in dubiũ, aut ſub examen vocare, ſed reuera eis ſine cunctatione obtemperare debere, ne alioqui ſit ſeruus ſuper dominum, diſcipulus ſuper magiſtrum, conſulens ſuper iudicem, ouis ſuper paſtorem; judiciumq; illud paſtorum, etiam ex ſua parte, non tam finiat, quam foueat controuerſias, vt in colloquio probatum eſt. Vnde etiam Magiſtratus politicus (qui ſi Chriſtianus eſt, etiam ipſe paſtoribus Eccleſiæ ſe in ſpiritualibus ſubditum agnoſcit) tutorem ac propugnatorem Eccleſiæ in ſpiritualibus cauſis agere debet, non iudicem; vindicem Eccleſiaſticarum legum aduerſus cõtumaces, non conditorem. (Seſs. 13.)

VII. Credimus quoq; & confitemur, Apoſtolos non ſolum accepiſſe poteſtatem prædicandi Euangelium, baptizandi, ac docendi; ſed etiam iuxta Scripturas, poteſtatem *alligandi ac ſoluendi quæcunq; ſuper terris*: ac proinde leges quoq; & ſanctiones ſalutares in Eccleſia circa mores ac cultum ferẽdi, vt ab Apoſtolis quoque factitatum, non ſemel legimus. (Matth. 18. Actor. 15.)

VIII. Credimus, eaſdem leges ac ſanctiones (vt ipſam etiam Chriſti doctrinam) ad nos partim ſcripto, partim etiam traditione ac viua voce perueniſſe; vtraſq; pari reuerentia accipiendas ac obſeruandas, vt ab Apoſtolo docemur, iuxta vnanimem Sanctorum Patrum interpretationem. (2. Theſſal. 2.)

IX. Eandem poteſtatem, regendæ Eccleſiæ neceſſariam, cum Sancto Petro & Apoſtolis exſpiraſſe non credimus; ſed Chriſto credimus, qui ſe cum Apoſtolis, (vtiq; intelligendo etiam eorum ſucceſſores) manſurũ eſſe promiſit, *vſq; ad conſummationem ſeculi*. Credimus Apoſtolis, qui non ſolum paſtores in variis Eccleſiis conſtituerunt, ſed etiam ſucceſſores poſt ſe Epiſcopos in pluribus Eccleſiis reliquerunt. Credimus S. Paulo teſtanti, Spiritum ſanctum, *poſuiſſe Epiſcopos regere Eccleſiam DEI*: ſimulq; alibi diſerte aſſerit, *dediſſe DEVM in Eccleſia paſtores, & Doctores ad conſum-* (Matth. 28. Act. 14. Actor. 20. Epheſ. 4.)

Digitized by Google

conſummationem ſanctorũ, in opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti, DONEC OCCVRRAMVS omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij DEI, in virum perfectum, & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, vt jam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.

X. Hinc quia omnes hiſtoriæ, omnes SS. Patres vno ore teſtantur, ſanctum Petrum (vtpote Romæ etiam defunctum) ſucceſſorem poſt ſe reliquiſſe Romanum Pontificem; à quo rurſus ad hæc vſq; tempora noſtra, alii atq; alii, continua ſucceſſione, Eccleſiam vniuerſam rexerunt; ideo Romanum Pontificem, vt Chriſti vicarium, Petri ſucceſſorem, vniuerſæ Eccleſiæ paſtorem Matth. 24. humiliter agnoſcimus & veneramur. Atq; hic ordo Eccleſiæ eſt, Matth 13. ob quem ipſa cõparatur familiæ, ab vno patrefamilias; & regno, Cant. 6. ab vno rege; & *caſtrorum aciei ordinatæ*, ab vno ſupremo duce dependenti. Qui verò pulcherrimum hunc Eccleſiæ ordinem convellit, aliumue ſpurium introducit, Chriſto, & Scripturæ vim ac iniuriam facit, vniuerſalemque totius Eccleſiæ praxin aut turpiter neſcit, aut impudenter damnat; à nobis proinde non aliter Matth. 18. habendus, quàm vt Ethnicus & publicanus.

CAPVT IV.

DE FORMA DIALECTICA A Prædicantibus inter diſputandum neglecta; eorumq; varijs digreſſionibus.

Textus præfationis.

QVARTVM. Partes argumentantis & reſpondentis diligenter diſtinguendas, nec à reſpondente probationes, ſed ab argumentante expectandas, & expeten-

das eſſe: quod tamen Prædicantes Neoburgenſes, vt ipſimet ridicule fatentur, hactenus ex Dialecticorum libris, *male vtique ſibi perſpectis*, non didicerunt, plane mirabiles *& miſerabiles*, non quod nudis reſponſionibus, affirmationibus, negationibus, Principij petitionibus *(quas Catholicis per imperitiam impingunt) acquieſcere noluerint; ſed quod nec acquieſcere datis reſponſionibus, nec eas ordine ac in forma impugnare voluerint, aut potuerint. At qui hoc, vt par eſt, memori mente recondet, is clare perſpiciet, quoties hæc duo officia aduerſarij confuderint; & quoties cum probationibus deſtituerentur, ab illis, quorum munus erat, probationes allatas diſſoluere, probationes poſtularint, inque materias à propoſito argumento penitus alienas digreſſi, verſatili linguæ fræna laxârint: agendo V. g. de ratione fidei* quouis tempore reddenda, *de* cathedra Moyſis æterna, *de latrone in cruce ſaluato, de Aarone dum ſummus ſacerdos non eſſet, errante; de ſummo Pontifice, duplici, an ſimplici homine, de traditionibus non ſcriptis ſpecificandis, atque adeò Iſraelitarum infantibus fæmellis, & maſculis non circumciſis, abſque remedio externo ſaluatis; de probanda per inductionem propoſitione, quæ nunquam fuerat negata; de inſtantia danda contra inductionem conceſſam; de probanda operosè propoſitione* maiore' nec negata vnquam, nec neganda; de punitis tranſgreſſoribus legis non ſcriptæ; de communione ſub vna, vel vtraque ſpecie; de obligatis regibus & ſacerdotibus ad legem ſcriptam; de ſummo legiſlatore & judice Chriſto; de Moyſe per ſcripturam accuſante ſeu judicante; de Achab, & Iezabel cogentibus populum ad Idolomaniam; de nihil agendo contra hæſitantem conſcientiam; de non obtemperando Neroni promulganti ſanguinarium mandatum; de non obtemperando Sauli jubenti occidere Abi-*

* minore.

Digitized by Google

melech Sacerdotem, de viſione quatuor animalium Ezechielis, & S. Ioannis; imo etiam de Antichriſto, an venerit necne *&c. De his enim* & multis alijs *quis loquendi* anſam dedit, præter quam pars nobis oppoſita, *vt Neoburgenſibus Prædicantibus vel leuiſſimo brachio cum fœnore reponatur, quod oppoſuerunt.*

Illud item hæc acta docebunt, nihil minus præſtitiſſe iſtos, quam quod leges Colloquij præſcribebant, videlicet vt dialecticè, ſeu ſyllogiſticè diſſereretur. Quod autem aduerſarij hanc inſignem & luculentam injuriam *eſſe clamitant*; argumenta enim ſua omnia & ſingula, ex præſcripto legis quartæ ſyllogiſmo, vel alia in logicis probata argumentandi forma propoſuiſſe, ad quæſita, & argumenta aduerſariorum, ſecundum legem quintam, diſertè affirmando, negando, diſtinguendo reſpondiſſe; *id tam inſigni & luculenta vanitate plenum eſt, vt nulla hîc alia refutatio neceſſaria, certe plenior nulla eſſe poſſit, ea, quæ tibi nunc, Lector, in ipſius Protocolli, luculentiſſimi teſtis neglecta, inter diſputandum, ab Aduerſarijs Dialecticæ formæ, iterata editione exhibetur. Ex quo luce clarius patebit, minus à vero aberraturum eum, qui diceret, nullum potius, quam* omnia & ſingula argumenta *in forma Dialectica ab aduerſarijs propoſita: nunquam, quam ſemper in forma Dialectica reſponſum fuiſſe, de qua re fuſius alibi. Statim enim operam dederunt, vt à Diſputationum anguſtijs, ad campos liberæ declamationis, vbi loquacitas regnat, excurrerent, nec vlla ratione à communibus locis in gradum rurſus ac lineas reſtitui potuerunt. Et ſi tantopere Dialecticam formam in Colloquio ſeruârunt, cur iam Ca-*

Digitized by Google

nonem illum quartum, & ſextum ex jure canonico diſt. 37. contra Catholicos Dialecticam formam & diſputationem *urgentes proferunt? An eam, quam ſe reipſa tam accuratè ſeruaſſe jactitant formam, verbis improbant? Sed vt Prædicantes Dialecticæ vſum refugiunt, ita Canones illi abuſum ſolummodo Dialecticæ taxant; eorum, qui neglectis Chriſtianæ fidei principiis, rejecta Eccleſiæ authoritate, propriis quibusdam humanæ rationis figmentis Chriſtianam & Catholicam fidem demoliri ſatagunt; vt noſtri etiam prædicantes faciunt, dum* Scripturas ſanctas male intelligentes, quaſi vino ebrii, *vt citatus ille Canon quartus ex S. Hieronymo loquitur, ſua, quæ in proprio cerebro confinxerunt, maleſana dogmata, contra vniuerſalis & Catholicæ Eccleſiæ conſuetudines, doctrinam, & fidem obtrudere nituntur.*

APOLOGIA.

AGITVR hic de forma Dialectica, à Prædicantibus in Colloquio turpiſſimè violata. Quia verò Hunnius in hac re fere toti Lectorem ad ſuum Apologeticũ & Protocollum remittit, ego quoq; pluribus hac de re agendum hic nõ putaui. Videat Lector, quæ à me in Relatione parte tertia, atque in examine Hunnianæ Relationis à cap. 4. vſque ad 10. de hac re prolixè tractata ſunt. Quædam tamen non omnino ſilentio prætermittenda putaui, vt ex illis ſcilicet modeſtia, & candor Hunnii luculentius pateſcat. Primum eſt, quàm egregium refutatorem ſe nobis præbeat Hunnius. Cum enim ſe apertiſſima veritate in præfatione conuictum animaduertit, vt nec vlla vel in ſpeciem probabili ratione tueri ſe poſſit, iam ſe officio ſuo ſatisfeciſſe exiſtimat, quando velut cenſoria virgula hæc in margine epiphonemata, ſine vlla alia probatione aſſcribit:
Calum. Hunn. *Mentiris Satana: frontem meretricis habes logodædale. hoc te ſcribere juſſit omnium mendaciorum pater & auctor.* Sic, Hunni, planè examina-

minator,ſic refutator, ſic demonſtrator, ſic victor egregius es; ſi præterire,eſt examinare;ſi aſſerere,eſt demonſtrare; ſi calumniari, eſt vincere.Sed talẽ victorem,Huñi, non laurus,ſed lorum decet.

Alterum eſt. Notantur Prædicantes in Præfatione de digreſſionibus in Colloquio abs re factis, & in iis etiam commemorantur hæ duæ. Prima eſt, quod Prædicantes prolixè probarunt per inductionem propoſitionem, quæ nunquam fuerat negata,minorem ſcilicet illam Seſs.3.propoſitam, quam etiam Hũnius in ſuo apologetico, ad quem Lectorem remittit, ſic ad verbum recitat: *Omnes reformationes Deo placentes tempore veteris teſtamenti ſuſcepta,ex ſolo verbo ſcripta,vel ſecundum illud fuerunt inſtitutæ*: Altera, quod probarunt operosè propoſitionem maiorem, nec negatam vnquam,nec negandam. Quæ verba referenda ſunt ad propoſitionem illam, ab aduerſariis in ſeſſione quarta operoſiſſimè,ſed fruſtra, probatam; *DEVS in veteri teſtamento reprehendit & punit eos omnes, qui à ſcripto ſuo verbo quacunq; intentione receſſerunt,& vel ad dextram,vel ad ſiniſtram deflexerunt.* etſi vitio librariorum legatur hìc *maiorem*,pro *minorem*, vt magis patebit infra ex abſurdo 16. pag.263.

Ad quarum primam reſpondet Hunnius,*imò propoſitionem illam fuiſſe negatam ab Hungero pariter & Gretſero*, idque ſe in ſuo Apologetico *irrefutabiliter demonſtraſſe*. Sed quænam illa quæſo adeo irrefutabilis demonſtratio,quæ conuincere poſſit, propoſitionem illam,quam nemo Catholicus negaret, nec etiam negare noſtris in mentem venit,in Colloquio negatam eſſe? Hæc ſcilicet vna & ſola eſt: Quoniam, vt Hunnius identidem inculcat, negarunt hanc propoſitionem: *Omnes reformationes Deo placentes tempore veteris teſtamenti ex ſolo verbo ſcripto fuerunt ſuſcepta.*Sed ſanusné es Hunni, an ex propoſito rurſus mentiris? Quæ enim hæc ſtoliditas, aut impudentia eſt, ab hac propoſitione ſimplici & abſoluta, ad coniunctam illam & diſiunctiuam argumentari velle? An Dialecticæ elementa prorſus tibi exciderunt? An neſcis,propoſitionem diſiunctiuam vt veram concedi, quando vnum ſaltem eius membrum ſub diſiunctione poſitum verum eſt, etiamſi alterum ſit falſiſſimum? Cum igitur Catholici Collocu- Pag.265.262.263. Mend.Hunni.

cutores, alterum propoſitionis illius diſiunctiuæ mẽbrum, hoc nimirum: *Omnes reformationes Deo placentes ſecundum verbum ſcriptum* (non enim hic addita eſt à Prædicantibus particula, *ſolum*) *fuerunt inſtituta*; quomodo tu homo mirabilis aſſerere audes, propoſitionem illam à noſtris in Colloquio fuiſſe negatam, ea ſolum ratione, quia negarint alterum eius propoſitionis diſiunctiuæ membrum, nimirũ quod Reformationes Deo placentes tempore veteris teſtamenti ſuſceptæ ex ſolo, ſiue ſecundum ſolum verbum ſcriptum fuerint inſtitutæ.

Sed contendit Prædicans in ſuo Apologetico, hanc ipſam propoſitionem cum illa ſua propoſitione maiore diſiunctiua coincidere, ita vt quiſquis hanc neget, etiam cenſeri poſſit velle negare alteram. Sed rurſus aio, Hunnium aut ſtolidè inſanire, aut impudenter mentiri. Itané vero, Hunni, eundem ſenſum faciunt iſtæ propoſitiones: Reformationes Deo placentes in veteri teſtamento ex ſolo verbo ſcripto, vel ſecundum illud (non addendo particulam, *ſolum*, vt nec addiderunt Prædicantes) fuerunt inſtitutæ; quam propoſitionem Bauarici Collocutores nunquam negarunt, ſed hoc ipſo ſemper conceſſerunt, quod alteram eius diſiunctionis partem admiſerunt, vt ſupra dictum; & hæc altera: Reformationes Dei placentes in veteri teſtamento ſecundum *ſolum* verbum Dei ſcriptum inſtitutæ fuerunt; quam Catholici conſtantiſſimè negarunt, ſemper facientes diſcrimen inter hæc duo, ſecundum verbum ſcriptum, &: ſecundum ſolum verbum ſcriptum? Iſtæ, inquam, propoſitiones duæ eundem ſenſum faciant? Deliras, Hunni: nec alium in hac re judicem depoſco, quam ſymmyſtam illum tuum Schram, qui, vt in Colloquio dicebam, ſcripſit vobis (vobis inquam) bonam Dialecticam, aut etiam quemuis ex tua ſchola diſcipulum, qui tribus ſaltem menſibus Dialecticæ ſtuduerit. Hi judicent, an eundem ſenſum faciant propoſitiones copulatiuæ & diſiunctiuæ; verbi gratia hæ duæ: Cras pluet aut non pluet; &: cras pluet, & non pluet. Quin etiam à teipſo adeò nunc deſipiente, ad teipſum quandoque ſaniorem appello, vt judices, an eundẽ ſenſum faciunt iſtæ propoſitiones; Hunnius damnabi-

Huan. Mend. &c.

nabitur, aut ſaluabitur; Et: Hunnius damnabitur, & ſaluabitur, aut: Hunnius damnabitur. Et rurſus iſtæ duæ: Hunnius aut probus vir eſt, aut hypocrita: Et: Hunnius probus vir eſt, & hypocrita; ſiue: Hunnius eſt Hypocrita. Tu ipſe, inquam, Hunni, ſaltē helleboro ſumpto, ſuper hac re judica, & tuam inſignem ſeu ſtupiditatem, ſeu impudentiam, qua temet adeo coram Deo & Eccleſia pudefeciſti, damna.

Ad alterius digreſſionis obiectionem reſpondet Hunnius, his verbis: *Maiorem illam* (Catholici) *per execrabile crimen falſi truncatam admiſerunt, reſecta inde particula excluſiua (ſolo)* Sed nimis præcipitanter judicat Hūnius, nimis audacter & temere calumniatur. Nullam enim vnquam nominare poterit propoſitionem, ſeu maiorem, ſeu minorem, in qua, juxta præfationis aſſertionem, in Colloquio à nobis non negata, nec neganda, ab eis tamen operoſè probata, particula, *ſolo*, fuerit omiſſa, nedum per execrabile falſi crimen omiſſa. Siue enim minorem illam, de qua paulo antea actum eſt, ſiue maiorem propoſitionem præambulā illius minoris in quarum vtraq; alioqui particula SOLO reperitur, nominet, ſemper ex verbis præfationis manifeſtè de falſitate & calumnia conuinci poteſt.

Nam ſi dicat, ſe locutum eſſe de ſupradicta illa minore, non maiore propoſitione, atq; errore Typographi in ſua annotatione poſitam eſſe, vocem *maiorem*, pro *minore*, ex eo falſitatis conuincitur; quòd annotatio illa Hunniana per appoſitum ſignum refertur ad eam partem Præfationis, in qua de alia quapiam propoſitione agitur, quam quæ per inductionem fruſtra fuerat probata. Quin paginæ illæ Apologetici, hoc loco ab Hunnio citatæ, de maiore, non de minore agunt. Quod pag. 266. 267. 268. ſi loquatur Hunnius de maiore in tertia Seſſione producta, & præambula ſupradictæ minoris propoſitionis, vt quidem hoc ipſo ſignificat, quòd paginam 267. 268. ſui Apologetici allegat, vbi hanc propoſitionem maiorem ex Protocollo recitat. *Si omnes exercitiorum Religionis conſtitutiones & Reformationes Deo placentes tempore veteris teſtamenti inſtituta, ex ſolo verbo Dei ſcripto, vel ſecundum illud fuerunt ſuſcepta, fuit profecto verbum*

illud

illud ſcriptum vnica, totalis perfectiſſima, & exactiſſima, norma Religionis: nec ſic quidem Hunnius calumniatoris notam abſtergat. Primum enim falſum eſt, Hunnium de hac propoſitione aut locutum eſſe, aut loqui potuiſſe. Tum quia tam Præfatio, quam Hunnius in examine Præfationis eo loco, loquitur de aliqua propoſitione à Catholicis nunquam negata. Illa vero propoſitio, quam in ſuo Apologetico refert Hunnius, quomodocunq; accipiatur, ſiue addita, ſiue reſecta particula *ſolo*, ſemper à nobis in Colloquio eſt negata, ſemperque neganda. Tùm quia Præfatio illic loquitur de propoſitione, quæ à Prædicantibus operosè quidem, ſed fruſtra & ſine cauſa probata eſt: At maior, quam Hunnius recitat, nec ab aduerſariis probata eſt, nec ſi probata eſſet, fruſtra probata fuiſſet, quandoquidem hæc illa ipſa eſt conſequentia ſiue ſequela, quam D. Gretſerus Seſſ. 3. toties negauit.

Deinde vero ſi maxime de hac propoſitione tam præfatio, quam Hunnius loqueretur, adhuc tamen impudentiſſimus calumniator eſſet, eo quod aſſerere audet, ex ea propoſitione per execrabile crimen falſi particulam, *ſolo*, fuiſſe reſectam. Cum enim propoſitio illa eſſet hypothetica, duplici, eoque ſub diſiunctione poſito antecedente conſtans, atque ſic pro ratione omnium eiuſmodi propoſitionum falſa, niſi ex vtroque antecedente ſequeretur conſequens; ut etiam in hac ſimili accidit: Hunnius ſi bene credit, aut bene bibit, ſaluus erit: idcirco ſatis erat Noſtris, vno membro antecedentis omiſſo, alterum duntaxat aſſumere, ex quo conſequens minime ſequebatur: quod abunde fecerunt, dum oſtenderunt illam hypotheticam eſſe falſam: Si omnes Reformationes & conſtitutiones exercitiorum Religionis DEO placentes tempore veteris Teſtamenti, ſecundum verbum ſcriptum fuerũt ſuſceptæ, tum ſequitur, verbum ſcriptum fuiſſe vnicam normam, &c. Quàm vero Hunnius in ſuo Apologetico, cum ſuo interprete Gauglero, circa illam propoſitionem egregium Sycophantam ſe præſtiterit, partim ab Andrea Montano iam oſtenſum eſt in illa germanica cenſura Gauglerianæ verſionis, partim alibi demonſtrabitur.

Refut. Apologet. Hunn.

Tertium eſt, Sycophantam appellat Hunnius præfatorem, dum

dum ait, à Prædicantibus primum motam fuiſſe quæſtionem de tempore aduentus Antichriſti, eamq; vocat, *diabolicam malitiã.* Sed mirarer, Hunni, ſi tu cum ſis malus, bona verba dare poſſes. Interim id, quod in præfatione dicitur veriſſimum, eſſe luculenter à me probatum eſt, in examine Hunnianæ Relationis cap. 23. ubi oſtendi me, quamuis prior de aduentu Antichriſti mentionem fecerim, ſolummodo tamen verſatum eſſe circa *theſim*, quod videlicet aduentus Antichriſti incidere debeat ſub occaſum Romani imperij, minime autem circa hypotheſin illã, num Antichriſtus jam de facto venerit, nec ne, atque adeo an Pontifex Romanus ſit Antichriſtus, ad quam quæſtionem Hunnius nimis præcipiti impetu ſolo tergiuerſandi & calumniandi ſtudio delapſus eſt.

Men. Hun. Calum.

Ex Hunn. Relat. cap. 23.

Quartum eſt. Ait Hunnius, Catholicos Collocutores in Colloquio faſſos eſſe, dogmata quædam ſua, nec in ſacra ſcriptura contineri, nec ex ea per validam conſequentiam deduci poſſe, quod tamen nihil aliud, quam apertiſſimum mendacium, & turpiſſimum falſi crimen eſt in Colloquio à nobis quaſi ex inſtituto refutatum. Ita enim habent verba mea Seſſione 5. *Quod autem dicit* (Hunnius) *ſtatum quæſtionis inter nos controuerſæ iſtum eſſe, num præter ſcriptum* Dei *verbum, aliquod addi dogma poſſit, quod nec in Scriptura extet, nec per validam conſequentiam inde deduci queat, ita quidem vt nihilominus additio illa ſcripto verbo non ſit contraria, id omnino declaratione indiget; nec enim negant Catholici, omnia quæcunq; ad Religionem ſpectant, & circa eam obſeruanda ſunt, aut in Scriptura apertè contineri, aut ex ea quoquo modo; etiam per validam conſequentiam, deduci poſſe; Sed hæc controuerſia eſt, an, ſeparando authoritatem infallibilem Eccleſiæ, omnia omnino fidei aut morum dogmata ex ſcriptura deduci poſſint clare & infallibiliter : quin enim mediante infallibili authoritate Eccleſiæ omnia deduci poſſint, non negamus. &c.* Hæc cum adeo luculenter à nobis in colloquio dicta ſint, qua fronte audet Hunnius ita nudè nobis tribuere, quaſi dixerimus multa nos habere dogmata, quæ non poſſint ex Scriptura per validam conſequentiam deduci?

Hunn. mend. & falſi crim.

Prot. Mon. p. 92.

Cætera Hunnij mendacia, vtpote à me jam alibi refutata,

vel ſatis per ſe clara, ſatis eſt hîc obiter commemorare, qualia ſunt: quòd Catholici circa judicis nominationem initio Colloquij turpiter tergiuerſati ſunt, de quo infra. Quod Prædicantes non ſint authores earum digreſſionum, quæ eis in Præfatione obijciuntur, de qua re Protocollum Lector conſule; quod ipſæ ſacræ ſcripturæ pronunciata, fuerint Catholicis ludes in oculis, vt loquitur Prædicans, de quo in examine Hunnianæ Relationis cap. 3. Quod Prædicantes dialecticè diſputarint, de quo in examine Hunnianæ Relationis cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Quod omnia & ſingula argumenta in formam ſyllogiſticam redacta propoſuerint, de quo in examine cap. 4. Quod ſine tergiuerſatione diſertè ſemper reſponderint, de quo in examine cap. 5. Sed nuſquam luculentius, quam paſſim in ipſo Protocollo, præſertim initio Seſſ. 13. Quod Lutherus, Schmidelinus, Hunnius, &c. abuſum tantum Dialecticæ, non autem ipſam per ſe artem Dialecticam improbent, de quo in examine Hunnianæ Relationis cap. 9. & totis quinque præcedentibus capitibus. Quod Catholici frequentiſſimis principij petitionibus etiam inter reſpondendũ peccauerint, toties nimirum, quoties Prædicantes in refutandis Catholicorum principijs turpiter hæſerunt, de qua re in examine cap. 8. ad quod cum reſponderit Hunnius, à me aliud Reſponſum expectet.

CAPVT V.

DE NOMINE CATHOLICI, quibus competat, & an illud Lutherus jure ex ſymbolo germanico Apoſtolorum exterminârit.

Textus præfationis.

QVIS

QVINTVM: *Caue ne impingas, cum tam crebra & denſa, & tantò verborum ſtrepitu ab aduerſarijs allata ſcripturæ teſtimonia leges: quæ quidem, vt per ſe hæreticum non arguunt, ita nec orthodoxum probant. Memineris ipſum Dominum Maieſtatis, ſacrarum litterarum teſtimonijs à Sathana appetitum.* Si, *inquit*, filius Dei es, mitte te deorſum. Quare? ſcriptum eſt enim, inquit. Magnopere nobis doctrina loci illius attendenda atque retinenda eſt, *ait Vincentius Lyrinenſis cap. 37.* vt tanto Euangelicæ authoritatis exemplo, quando aliquos Apoſtolica ſeu Prophetica verba proferre cōtra Catholicam fidem viderimus, diabolum per eos loqui minime dubitemus.

Sed & Prædicantes audire volunt Catholici. Mirum, cum Lutherus vocem CATHOLICAM, *in articulo de Eccleſia, ex germanico ſymbolo dudum eliminarit: non alia vtique de cauſa, quam quod eam ſuæ Eccleſiæ, dicam, an ſuis, nequaquam conuenire probe perſpexit. Sed quid mirum hoc velle Prædicantes?* Cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, *teste S. Auguſtino contra epiſtolam fundamenti cap. 4. ſed eos Catholicos eſſe*, nemo verè Catholicus dixerit, multò minus probauerit vnquam, *vt ſua in Authores jacula retorqueantur. Nā* cum Chriſti Eccleſia Catholica, *authore B. Auguſtino lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 3.* canonicarum ſcripturarum diuinarum, diuinis, & certiſſimis teſtimonijs, in OMNIBVS GENTIBVS deſignata ſit, quicquid attulerint, aut vndecunq; recitauerint, qui dicūt ecce hîc *(in Saxonia)* eſt Chriſtus *(ſiue Eccleſia Catholica)* ecce illic, audiamus potius, ſi oues eius ſumus, Paſtoris noſtri vocem ibidem dicentis; nolite credere,

Matth. 24. Singulæ quippe hæreſes in multis gentibus, vbi Catholica Eccleſia eſt, non inueniuntur. Hæc autem quæ VBIQVE eſt, etiam ubi illæ ſunt, inuenitur. *Et qua ratione Lutheranos cenſeamus Catholicos, ſi, vt pulchre docuit Vincentius Lyrinenſis cap. 3. de præſcript. Hæreticorum*, verè proprieq; Catholicum eſt, id tenere quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt? *quod eodem authore*, ita demum fit, ſi ſequamur VNIVERSITATEM, ANTIQVITATEM, CONSENSIONEM. Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo; ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: antiquitatem verò ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè pænè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones, ſententiasq; ſequemur. *Ita ante annos plures mille, Vincentius Lyrinenſis. Igitur quod ajunt Prædicantes, ſibi* non Catholicam, ſed recens excogitatam fidem, vel potius opinionem hæreticam oppugnare conſtitutum fuiſſe, *laude quidem digna eſt priſtinæ arrogantiæ remiſſio, qua non jam expugnatam à ſe Catholicorum Collocutorum doctrinam dicunt, ſed duntaxat oppugnandam, vtpote quam, inquiunt,* oppugnare conſtitutum nobis erat; *Sed in eo minimè laudandi, quod Catholicam doctrinam hæreſeos inſimulant, ſuamque hæreticam opinionem pro Catholica haberi, abſque vlla probatione volunt, Sed quinam aliter loquerentur hæretici?*

APO-

Digitized by Google

APOLOGIA.

MVLTA circa hæc ſparſim hinc inde pro ſua libidine annotat Hunius: ſed quæ nulla fere indigeant refutatione, cum aut mera ſint verba, aut ſæpius refutata mendacia. Quale cum primis eſt illud quod hoc loco non minus quater repetit: Catholicos in colloquio faſſos, eſſe quædam dogmata ſibi, quæ nec in ſciptura expreſsè extent, nex ex ea validè deduci poſſint, quod turpiſſimum falſi crimen præcedenti capite luculenter refutatum eſt. Illud hoc loco paulo diligentius in Hunnij gratiam diſcutiendum eſt, quod in præfatione de Catholici nomine dictum multis notatiunculis arrodit Hunnius, quibus id efficere conatur, ſuis potius, quam noſtris hoc nomen competere. Etſi enim de ſucceſſu ferè deſperat, ideoq; etiam dicit; *age iactent ſanè titulos, & inania verba* (Catholici) *nos dabimus operam, vt reipſa nobis vera cum laude competat:* tamē vt eſt impudentis confidentiæ homo, conatum in hac re non penitus intermittit. Rationes autem, quibus probare nititur, nomen illud nobis verè non conuenire ſunt iſtæ. Prima quia Pontificiorum inquit, *dogmata (propria illorum confeſſione) nec in Catholicis Scripturæ libris extant, nec ex ijs per vllam euidentiam in æternum poſſunt deduci.* Sed vtrumq; mendacium eſt, ſiue quod Catholici hoc faſſi ſint, vt ſupra oſtenſum, ſiue quod re ipſa verum ſit: eſtque prætera falſum, quod omnia in ſcriptura expreſſe & in ſpecie exſtare debeant.

Hunn. mend.

Hunn. mend.

II. Ieſuitæ *contra Catholicam fidem proferunt ſcripturas*: ergo &c. Reſpondetur hoc eſſe mendacium Hunnij, quod is nec minimò quidem ſigno aut poteſt, aut conatur probare, cum nos multis exemplis alibi oſtenderimus, & infra quoque pluribus adhuc demonſtraturi ſimus, à Prædicantibus ſcripturas tam quoad verba, quam quoad ſenſum turpiſſimè deprauari.

Hunn. mend.

Relat. compend. part. 1. cap. 9. & Exam. Hunn.

III. *Multi iam olim tempore Chriſti, Sacerdotes, Phariſæi, Scribæ, magnificè ſeſe efferebant inflatis titulis, quod Rabbi, quod Magiſtri Iſraëlis, quod Patres, quod ſemen Abrahæ, maximè vero quod Iudæi dici geſtiebant.* Sed quid tum, Hunni? quid infers? ergo etiā

Relat. c. 10. Abſurd. 3. 9. 10. & c. 11. abſurd. 11. & 13. cap. 17. abſurd. 23. 24. &c.

Digitized by Google

Catholici falſo ſe Catholicos jactitant? Sed cur non potius? ergo Hunnius nec eſt Rabbi, nec magiſter Iſraëlis, neq; ſemen Abrahæ ſecundum ſpiritum, nec Iudæus niſi forte ſecundum carnem, ſed ineptus Prædicans, & vanus Calumniator, qui neſcit quid dicat.

Aliter profectò SS. Patres docuerũt, qui vel ex ipſo Catholici nomine, veram Eccleſiam ab Hæreticorũ conuenticulis diſcerni iam olim ſolitam fuiſſe, tradiderunt. *Si ieris*, inquit Cyrillus Hier. *in aliquam vrbem, non petas, vbi ſit Eccleſia, vel domus Dei, nam etiam Hæretici dicunt, ſe habere domum Dei & Eccleſiam, ſed petas, vbi ſit Catholica Eccleſia, id enim nomen proprium huius ſanctæ Eccleſiæ matris omnium noſtrum, quæ eſt ſponſa domini noſtri Ieſu Chriſti vnigeniti filij Dei.* Et poſt eum Auguſtinus. *Tenet me*, inquit, *in Eccleſia ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tã multas hæreſes ſic iſta Eccleſia obtinuit, vt cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Eccleſiam Catholicam cõueniatur, nullus hæreticorum, vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Quod etiã ipſoſmet hæreticos vel inuitos quãdoq; agnoſcere alibi ſcribit. *Tenenda eſt nobis*, inquit, *Chriſtiana Religio, & eius Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolum à ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolint, ipſi quoq; hæretici, & Schiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quam Catholicam dicunt; nõ enim poſſunt intelligi, niſi hoc nomine eam diſcernant, quo ab vniuerſo orbe nuncupatur.* Quod etiam ipſi de noſtris aduerſarijs verè dicere poſſumus, qui cum catalogos librorum tam noſtrorum, quam ſuorum Francoforti edunt, vel inuiti noſtros Catholicorum nomine inſcribere coguntur.

Cyrill. catech. 18.

Auguſt. con. Epiſt. fund. cap. 4.

Auguſt: lib. de vera Relig. cap. 7.

Vid. catalogum generalem librorũ editum anno 1602. Francofurti.

Sed probationem quartam Hunnij videamus; *Pontificij*, inquit, *Eccleſiam certo loco (vrbi Romæ & Romanæ illic cathedræ) alligatam ſomniant.* Sed quid alligatam vocas, Prædicans? ſi alligatam dicis Romæ & Romanæ cathedræ, quia conſtanter patet & ſubijcitur Apoſtolicæ cathedræ Romæ exiſtenti: fateor ſic alligatam, quamdiu Apoſtolicæ cathedræ principatus illic permanet. Sed hinc non infertur, noſtram Eccleſiam Catholicam nõ eſſe, ſed potius contrarium: quandoquidem illa ſemper Catholica habita eſt,

quæ

Digitized by Google

quæ Catholico & vniuerſali capiti Eccleſiæ Romano Pontifici communicaret. Quod ſi alligatam Romæ, aut Romanæ Cathedræ dicas, quaſi extra Romam & Romanum Epiſcopatum (vt particularem diœceſim conſtituit) non ſit vera Eccleſia, ipſe, ni fallor, intelligis, Hunni, quam turpiter erraris.

V. Eccleſiam Catholicam non eſſe apud Monachos ſic probat. *Nam Monachi & Moniales*, inquit, *jactantes ſua opera ſupererogationis, quæ poſſent ad æterna ſalutis meritum communicare alijs, palam inuolabant in officium Chriſti, ſeque pro Chriſto in ſummo articulo noſtræ ſalutis, non obſcure gerebant.* Et in huius argumenti confirmationem intentat Prædicans minas ei, qui hæc neget. *Negari*, inquit, *hæc non poſſunt, et ſi negare inſtituit turpis iſte Præfator, faxo, vt veraci reſponſione proteruum os ei dedoleatur.* Sed itane putas, Hunni, tuis minis veritati os obturari poſſe? Equidem id non modo nego, ſed etiam aio, te tribus his verſibus, ter aut quater improbe mentitum eſſe. Primò enim mendacium eſt, Monachos & Moniales *jactare* ſua opera ſupererogationis: Qui enim vere Monachi ſunt, ſuamq; regulam ſequuntur, opera ſua minimè jactant, ſed juxta præceptum Chriſti, etiam *cum omnia fecerint ſeruos inutiles* ſe fatẽtur, & ſecundum monita S. Pauli *cum metu & tremore ſalutem ſuã operantur:* Tametſi quidem interim cum debita animi ſubmiſſione agnoſcant, ſi regulæ ſuæ conuenienter vixerint, *gratiam Dei in ſe vacuam non fuiſſe*; ita tamen vt eam ipſam nouam gratiam DEI agnoſcant, & gratias pro ea debitas Deo perſoluant.

Calum. Hunn.

Hunn. mend.

Luc. 17.

Philip. 2.

1. Cor. 15.

Secundum mendacium eſt: Monachos & Moniales ideo hoc facere, vt poſſint *ad æterna ſalutis meritum ſua opera cõmunicare alijs.* Nam ad *meritum ſalutis æternæ*, propriè loquendo, nemini ſua opera nec volunt, nec poſſunt communicare; ſed ſolum ad ſatisfactionem pro pœna temporali.

Tertium & quartũ mendacium eſt: *Palam eos inuolaſſe in officiũ Chriſti ſeq; pro Chriſto in ſummo articulo noſtræ ſalutis non obſcurè geſſiſſe.* Immanes calumniæ ſunt iſtæ: itane verò in officiũ Chriſti inuolauit, & pro Chriſto ſe geſſit S. Paulus, quando dixit: *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionũ Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Quid ergo facies Hunni? an etiam S. Paulo *os dedolabis*, ne tuas calumnias poſthac adeo manifeſte coarguat?

Coloſſ. 1.

Vid. Bellarm. tom. 1. cont. 5. lib. 2.

Sexta

Sexta probatio Hunnij eſt: *Papicolæ ſceleratè damnant vocem Chriſti ſonantem in ſcripturis Prophetarum & Apoſtolorum.* Sed cur quæſo te, Hunni, adeò confidenter mentiris, & calumniaris? non aliter, ac ſi aliquam hinc induſtriæ, ſiue ingenij laudem aucuperis: cum tamē in talibus mendacijs nec induſtriæ, nec ingenij ſit quicquam, ſed impudentiæ plurimum?

Septima probatio Hunnij ex hoc mendacio conficitur. *Quia*, vt ait, *Papiſtarum doctrina eſt recens excogitata*: Quod hinc verum eſſe comprobat: *Quia Prophetis & Apoſtolis*, inquit, *tam ignota eſt, vt pleraq; dogmata Papiſtica (fatentibus ipſiſmet Suitis) in libris Prophetarum, & Apoſtolorum nec contineantur, nec ex ijs euidenter deduci poſſint.* Sed vtraq; tam aſſertio, quam probatio mendaciſſima eſt, vt quidem, quod ad probationem attinet, ſupra oſtendimus. Quin etiam conſequentia ineptiſſima: quaſi verò ideo, quod aliquid in ſcripturis Apoſtolicis aut Propheticis non exſtet, idcirco Apoſtolis aut Prophetis ſit incognitum: quaſi verò nihil ipſi cognouerint, niſi quod ſcripſerint. An ſanus es Hunni?

Sed probat Hunnius aſſertionem alio argumento. Quia *hiſtoria*, inquit, *temporum teſtatur, quòd canon miſſæ, communio ſub vna ſpecie, inuocatio ſanctorum, purgatorium, peregrinationes ad ſimulachra diuorum & diuarum, indulgentiæ papales, aliaq; longè plurima non ab Apoſtolis vel voce, vel ſcriptis tradita, ſed à Pontificibus atq; Monachis excogitata ſint.* Sed examinemus ſingula. Canonem quoad partes nonnullas accidentales, præcipuè quoad cōmemorationem ſanctorum qui Apoſtolorum tempora ſubſecuti ſunt, ſucceſſu primum temporis in Eccleſia auctiorem factum eſſe, planè fatemur: idq; ſine vllo piaculo fieri potuiſſe, ipſimet hæretici fateri coguntur, qui ſexcentas preces recitant nuſquam in Scripturis expreſsè & in particulari traditas. Quod vero ipſe canon Miſſæ ſeu quoad ſubſtantiam, ſeu quoad principales partes poſtea primum excogitatus fuerit, mendacium eſt, quòd nec probat; nec vnquam probabit Hunnius. Mendacium quoq; eſt, communionem ſub vna ſpecie nouam, aut nuper primum in Eccleſia introductam eſſe,
Luc. 24. vtpote quam etiam apud S. Lucam legimus. Secus eſt de præcepto communicandi ſub vna ſpecie Laicis dato, quod non ita antiquum

quam eſſe libenter fatemur. Sed in quo tamen ipſo non magis peccauit Eccleſia, quam S. Paulus, cum profanas cœnas ab Euchariſtiæ communione remouit, & alia quædam circa eam rem diſponenda ſumpſit. Inuocatio Sanctorum, purgatorium, peregrinationes ad Baſilicas & memorias Sanctorum, indulgentiæ papales, quoad rem, & ſubſtantiam, abſtrahendo à certo loco & modo, omnia juris diuini & Apoſtolici ſunt, vt fuſius probãt Catholici Controuerſiarum Tractatores. Viderit ergo Hunnius, ex quibus hiſtorijs tot ſua mendacia probet, quibus hactenus oſtendere nitebatur, noſtram Eccleſiam verè Catholicam dici non poſſe. 1. Cor. 11. Bellarm tom. 1. cont. 6. &c.

Iam videamus, quibus rationibus ſuæ ſynagogæ, nomen Catholicæ Eccleſiæ vindicare ſtudeat. Et primo quidem negat, Lutherum in articulo de Eccleſia, Apoſtolorum ſymboli, eliminaſſe vocem *Catholicam*. Sed hoc craſſum planè eſt mendacium Hunnij, non minus quam illud impudens factum Lutheri. Huius quidem, dum vocem *Catholicam*, quam ipſimet Apoſtoli adeo ſollerti conſilio in Symbolo repoſitam poſteris tradiderunt, quãque Eccleſia, tam latina, quam Græca, ab ipſis Apoſtolorum temporibus, per mille fere & quingentos annos, vſque ad Lutherum, ſtudioſſime, quoad vim ſignificandi, retentam, publicè priuatimq; recitabat, ex germanico Apoſtolorum Symbolo expunxit: non alia profecto de cauſa, quam quod impius Apoſtata probè aduertebat, vocem illam *Catholicam*, quæ *vniuerſalem* ſignificat, ſuæ nouæ, anguſtæ, vix palmari Eccleſiæ minimè conuenire. Illius verò, dum mendacij arguere audet veritatem in omnium oculis expoſitam, cum palam ſit, in catechiſmo germanico Lutheri, vbi Symbolum Apoſtolorum recitatur, nuſquam legi vocem illam, *Catholicam*, ſed pro ea eſſe ſuppoſitam vocem, *Chriſtianam*.

Sed ait Hunnius, *explicaſſe* tantum Lutherum, *dum vocem græcam, laicis ignotam, reddidit per germanicam*: alioquin enim *idem eſſe Catholicã, & Chriſtianã Eccleſiã, ac terminos plane ἰσοδυναμοῦντας* æquiualentes. Quibus verbis rurſus tria craſſa mendacia continẽtur. Primum eſt, Lutherum vocem *Catholicam* reddidiſſe per germanicam, cum ſiue de origine, & natura vocum loquatur, vox

illa *Chriſtianam* (Chriſtliche) non minus origine & natura ſua græca ſit, quam vox *Catholicam* (Catholiſche) cum & illa à χρίζεσθαι, hoc eſt vngi, hæc à καθ᾽ ὅλον hoc eſt, *per totum*, deducatur. vt norunt omnes, qui vel primoribus labris græcam linguam deguſtarunt: Siue de accomodatione vſus ſermo ſit, non minus in orthodoxa germanorum Eccleſia, ad Germanicam terminationem vſu accommodata, & plebis ore trita ſit vox *Catholicam* (Catholiſche) quam vox *Chriſtianam*, (Chriſtliche.) Vt proinde etiam Lutherus ſi maximè idem eſſent *Chriſtianam*, & *Catholicam*, hanc tamen ab ipſis Apoſtolis in Symbolo poſitam, & adeò communi iam loquentium vſu tritam potius, quam illam ponere, vel certè per vocem verè germanicam, Allgemain/ interpretari debuiſſet; ſi vertere, non peruertere ſymbolum voluiſſet.

Secundum & tertium mendacium Hunnij non minus impudens eſt, quando ait Lutherum *explicaſſe* tantum vocem, *Catholicam*, per vocem, *Chriſtianam*, alioquin enim voces eſſe *æquiualentes*, hoc eſt, eiuſdem notionis ſiue ſignificationis. Vtrumq; ſanè falſiſſimum eſt, cum vtriuſq; vocis notio & ſignificatio, atq; adeo vis diuerſiſſima ſit. Vox enim *Chriſtianam*, quando Eccleſiæ tribuitur, ſignificat, Eccleſiam ſub vno capite Chriſto congregatam, eiuſque fide imbutam, abſtrahendo interim, vtrum talis Eccleſia ratione temporum, locorum, perſonarum, doctrinæ ſit *vniuerſalis*. At vox, *Catholicam*, vniuerſalitatem Eccleſiæ ſignificat, quoad tempora, loca, perſonas, doctrinam. *Ideo enim*, inquit Auguſtinus, *Catholicam nominarunt, vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt, ſecundum totum enim, καθ᾽ ὅλον græce dicitur.* Eodem modo vocem hanc explicat Cyrillus Hieroſolymitanus: *Catholica* (Eccleſia, inquit) *vocatur, quia per vniuerſum ſit orbem terrarũ diffuſa, à finibus terræ, vſq; ad extrema &c.*

August. de Vnitat. Eccleſ. cont. Epiſt. Petil. cap. 2.
Cyrill. Catech. 18.

Idipſum diſcrimen vtriuſque vocis optime notauit Pacianus: *Ego forte ingreſſus*, inquit, *populoſam urbem hodie, cum Marcionitas, cum Apollinariacos, Cataphrygas, Nouatianos, & cæteros eiuſmodi comperiſſem, qui ſe Chriſtianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis agnoſcerem, niſi Catholica dicere-*

Pacian. Ep. 1. ad Sympron.

Digitized by Google

ceretur? &c. Et infra: *Catholicum iſtud*, ait, *nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum ſonat, nec hæreticos ſumit authores &c.* Et rurſus inferius; *Ne æſtues*, inquit, *frater, Chriſtiani mihi nomen, Catholicus verò cognomen; illud me nuncupat, iſtud oſtendit; hoc probor, inde ſignificor.* Et rurſus: *Ab hæretico*, inquit, *nomine noſter populus hac appellatione diuiditur, dum Catholicus dicitur.*

Audit Lector, voces illas non eiuſdem, ſed diuerſæ ſignificationis eſſe Paciano, & ita quidem diuerſæ, vt vox *Catholici* longè melius orthodoxũ oſtendat ac probet; ac proinde à cæteris infidelibus, præſertim hæreticis diſtinguat, quam vox *Chriſtiani*: cum, vt ait Auguſtinus, *quæcunq; congregatio cuiuſlibet hæreſis, in angulo ſedeat*, non autem, vt Catholici nomen poſtulat, per omnes gentes diffuſa ſit. Auguſt. lib. de vnitat. Eccleſ.

Quocirca etiam SS. Patres frequentiſſimè ex hac nota veræ Eccleſiæ, (quod *Catholica*) probarunt & ſuam veram ac Chriſtianam Eccleſiam eſſe, & aliorum hæreticorum diuerſa ſentientium veram & Chriſtianam non eſſe. Vid. Aug. de vnit. Eccleſ. c. 3. & lib. 4. de Symb. ca. 10. Baſil. Ep. 72. Cypr. lib. de vnit. Eccleſ. Optat. Mile. lib. 2. cõ. Parmen. Vincen. Lyrinen. in common. &c.

Hos tu mihi doce, Hunni, ſignificationem nominis Catholici, hos velim dicas, neſcire, quid *Catholicum* ſit, vt impudenter obijcere Catholicis non es veritus: hos damna petitionis principij, & ineptæ argumentationis, quando ab eo, quod eſt *Catholicum eſſe*, aut non eſſe, comprobarunt quippiam etiam Chriſtianum eſſe, aut non eſſe: vt quidem damnare debes ſi vox vtraq; eſt ſynonyma, & vt ais ἰσοδυναμοῦσαι.

Sed probat Hunnius ſuum mendacium ex eo, quod *termini illi ſunt conuertibiles, quoniam quicquid Catholicum eſt, etiã eſt Chriſtianũ & è contra.* Sed quid tum? an ideo ſunt ἰσοδυναμοῦντες & Synonymi? an ideò Lutherus non conſcelerate vnam vocem pro alia ſuppoſuit? Falſiſſima planè vtraque conſequentia eſt: Hæc inſuper etiam, quia ad impietatis defenſionẽ trahitur impia. Longè enim aliud eſt, voces ſiue terminos eſſe *Synonymos*, ſiue ἰσοδυναμοῦντας, hoc eſt, eiuſdem ſignificationis; & aliud eſſe inter ſe *conuertibiles*; hoc eſt, qui de eadem, ſiue de iiſdem rebus conuerſim dicantur; cùm de vna atque eadem re conuertibiliter prædicari

Digitized by Google

poſſint plurima, quæ diuerſiſſimam interim notionem atq; conceptum menti ingenerent, vt omnes norunt. De Deo enim, verbi gratia, conuertibiliter dicitur, quod omnipotẽs ſit, quod omniſcius, quod infinitus, quod actus puriſſimus, quod ens primum, quod Creator, quod Redemptor &c. Similiter de Chriſto, quod Ieſus, quod Verbum patris, quod filius Dei, quod filius Mariæ virginis &c. Item de homine, quod rationalis, quod admiratiuus, quod riſibilis, & ſic de cæteris infinita. Quis autem, niſi mente captus, idcirco terminos illos, qui, vt diximus, ita conuertibiliter de eadẽ re dicuntur, dicat eſſe ſynonymos & æquiualentes? Faceſſant hæc ſtulta, & apud doctos inaudita commenta, & diſcat Hunnius prius ſaltem Dialecticæ rudimenta, quam de rebus Theologicis diſſerere auſit.

Quod vero altera illa conſequentia ſit etiam impia, facilè ex dictis patet. Quis enim, niſi extremè impius, dixerit, poſſe vel in ſcriptura, vel in Apoſtolorum Symbolo, vel in cæteris eiuſmodi publicis & Apoſtolicis ſcriptis aut dictis vertendis, ex terminis inter ſe conuertibilibus (ſi non etiam ſimul Synonymi ſint) vnum pro alio ſupponi. Si enim hoc ita eſſet, quã pronum foret cuilibet veteratori, aut nouum Euangelium, aut nouum Symbolum, non tam Apoſtolicum, quam *apoſtaticum*, vt etiam Tertullianus contra Marcionem loquitur, ex Apoſtolico procudere. Neq; reprehendere Hunnius poſſet, ſi quis Arianus, ſeu Ebionita in Euangelio, aut in Symbolo transferendo, pro *filio Dei*, poneret, *filium Mariæ*: neque ſi quis Manichæus pro *Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ*, &c. poneret: *Patrem bonum, Creatorem lucis.* Aut ſi quis Ebionita pro illo: *Natus ex Maria virgine*, poneret: *Natus ex Maria, Ioſephi Coniuge &c.* Sunt enim termini iſti inter ſe conuertibiles. Proh pudor, contra talia portenta diſputandum eſſe.

Pacian. epiſt. 1. ad Sympron. Concludo contra has Lutheri & Hunnij impoſturas hanc de nomine Catholici controuerſiam Paciani verbis: *Catholicum iſtud nec Marcianum, nec Apellem, nec Montanum ſonat*, (nec Lutherum, nec Caluinum, nec Zvvinglium, nec Müncerum) *nec hæreticos ſumit authores. Multos nos ſpiritus ſanctus edocuit, quem Paracletum Apoſtolis & Magiſtrum Deus miſit è cœlis. Multa ratio, ſicut dicis*

dicit Paulus, & honeſtas, & (vt ait) ipſa natura. Quid? parua nobis de Apoſtolicis viris, parua primis ſacerdotibus, parua de beatiſſimo Cypriano Martyre & Doctore currit authoritas? an volumus docere Doctorem? an ſapientiores illo ſumus, & ſpiritu carnis inflamur aduerſus eum, quem æterni Dei teſtem nobilis cruor, & clariſſima paſſionis corona produxit? Quid tot earum partium ſacerdotes, quos per totum orbem, cum eodem Cypriano pax vna ſolidauit? quid tot annoſi Epiſcopi, tot Martyres, tot Confeſſores? Age ſi illi vſurpando nomini huic authores idonei non fuerunt, nos idonei erimus negando? & noſtram potius authoritatem patres ſequentur, & emendanda ſanctorum cedet antiquitas, & iam putreſcentia vitijs tempora, canos Apoſtolicæ antiquitatis eradent? &c.

Sed quam pulchrè ſe expedit Hunnius à teſtimonijs ſanctorum Patrum, quibus in præfatione probatum eſt, Eccleſiam Lutheranam Catholicam non eſſe. Plæraq; enim non niſi vaniſſimis notulis arrodit, ex nonnullis etiam aliquid commodi ad ſe transferre nititur: vt mox dicetur. Interpoſita erat, explicationis gratia, in primo teſtimonio Auguſtini, diuerſo charactere, & per parentheſin, apertiſſimo diſcrimine, hæc particula (*ſiue Eccleſia Catholica*) hîc ſtatim adeſt Hunnius, cum ſua notatione: *Hoc de tuo adijcis.* Sed quis hoc neſcit, Prædicans? an primus hoc notaſti? an non verba illa interſerta à contextu Auguſtini ſunt apertè diſtincta? an nouum hoc eſt, interlineares, vt ita dicam, gloſſas, indicato tamen diſcrimine contextui interponere? quàm libenter inueniret Hunnius, in quo Catholicos malæ fidei inſimulare poſſet, vt ſibi quoq; modo pares efficeret?

Deinde locum illum Auguſtini ex libro de vnitate Eccleſiæ in Præfatione citatum callidè & per *impoſturam abruptum* aſſerit, ne ſequentia legerentur, quæ ſcilicet Catholicos lædebant. Malum, Prædicans, quid in Auguſtino lædit Catholicos? imò quid in eo legis, quod vos non lædat? Recitas illud: *Ergo in ſcripturis ſanctis canonicis eam* (Eccleſiam) *requiramus?* Item, *Auferantur illa de medio, quæ aduerſus nos inuicem, non ex diuinis Canonicis libris, ſed aliunde recitamus*; accuſatorios videlicet quoſdam & litigioſos libellos intelligit. Et rurſus: *Nolo ex humanis documentis, ſed diuinis* — Auguſt. lib. de Vnit. Eccleſ. c. 3.

oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari. Et cap. 16. eius libri, Vtrũ ipſi Eccleſiam teneant, nonniſi diuinarum ſcripturarum libris oſtendant. Hæcne nos lædant? imo vos damnãt. Auguſtinus ſit arbiter. Proferantur antecedentia, proferantur conſequentia. Dic Auguſtine, qua ratione ex Scripturis contra Donatiſtas probas, Eccleſiam tuam fuiſſe veram Eccleſiam? an ex ipſa doctrina, vt ineptè volunt Sectarij, an ex alijs manifeſtis Eccleſiæ notis in Scriptura deſcriptis; quæ noſtræ Eccleſiæ conueniant, Aduerſariorum Synagogis nõ conueniant? Dic audacter, nam ſi nobis hîc aduerſaris, ſi non paribus paſſibus contra Donatiſtas, pariter & Lutheranos tua currunt argumenta ex ſcripturis deſumpta, ſi non eodẽ robore ſimul & pro tua, & pro noſtra pugnas Eccleſia, nihil moror victus cenſear. Dic ergo, qua ratione ex ſcripturis probas tuam Eccleſiam? Audi, Hunni, initium illius teſtimonij in præfatione producti: Audi Auguſtinum ex ſcripturis ſuam pariter & noſtram Eccleſiam probantem. *Si enim ſancta ſcriptura in Africa ſola* (nos applicando dicimus, in Germania ſola) *deſignauerunt Eccleſiam, & in paucis Romæ Rupitanis, vel Montenſibus, vel in domo, vel patrimonio vnius Hiſpanæ mulieris, quicquid de chartis alijs aliud proferatur, non tenent Eccleſiam, niſi Donatiſtæ. Si in paucis Mauris prouinciæ Cæſarienſis eam ſancta ſcriptura determinat, ad Rogatiſtas transeundum eſt. Si in paucis Tripolitanis, & ByZacenis, & Prouincialibus, Maximianiſtæ ad eam peruenerunt. Si in ſolis Orientalibus, inter Arrianos & Macedonianos & Eunomianos, & ſiqui illic alij ſunt, requirenda. Quis autem poſſit ſingulas quaſi hæreſes enumerare gentium ſingularum? Si autem Chriſti Eccleſia* (audis Hunni, iam verba in præfatione producta) *canonicarum ſcripturarum diuinis & certiſſimis teſtimonijs in omnibus gentibus deſignata eſt, quicquid attulerint & vndecunq; recitauerint &c. nolite credere.* Et hæc tua ſunt Hunni, hæc te non damnant? cur taces, annon ſolum te pupugerunt, ſed etiam tranſfixerunt, vt ioqui non poſſes? Faxit Deus, vt te non lethali vulnere, ſed ſalutari dolore compungant.

Sed inſpiciamus etiam ſequentia, vt jubet Hunnius. Videamus annon ex eo ſemper ſuam probet Eccleſiam, veram Eccleſiã

Digitized by Google

eſſe, quod ſola ipſa, inter omnes quæ Chriſtiano nomine gloriarentur, juxta Scripturarum vaticinia per terrarum orbẽ eſſet diffuſa: Donatiſtarum autem è contra falſam Eccleſiam eſſe, quod angulis neſcio quibus conſtringeretur. Quod ſi conſtans ſibi non eſt Auguſtinus, ſi hoc non dicit, ecce profiteor, in trophæis ſim Hunnio, nihil moror. Vtinam pari candore mihi accenſeri velit Hunnius, ſi dicat. Audiamus igitur Auguſtinum: *Ergo in ſcripturis ſanctis Canonicis*, inquit, *eam requiramus*. Idque cum, vt, alijs contentiosis & judicialibus quibuſdam chartulis relictis, facere vellent Donatiſtæ, multis argumentis perſuadere conatus fuiſſet Auguſtinus, toto cap. 4. & 5. vt ex verbis ſupra recitatis colligitur, tandem cap. 6. ſic probationem hanc ex ſcripturis aggreditur.

O Donatiſtæ, (ô Lutherani) *Geneſim legite; Propter memetipſum iuraui, dicit Dominus, propter quod feciſti verbum hoc, & non peperciſti filio tuo amantiſſimo propter me, niſi benedicens benedicam te, & implendo implebo ſemen tuum, tanquam ſtellas cœli, & tanquam arenam quæ ſecus oram maris eſt, & hæreditate poſſidebit ſemen tuum ciuitates aduerſariorum tuorum, & benedicentur in ſemine tuo O M-NES GENTES TERRÆ, quia obaudiſti vocem meam. Quid ad hæc dicitis?* (& tu Hunni quid reſpondes?) *An Judæorum nobiſcum peruerſitate contenditis, vt dicatis, in ſolo populo nato ex carne Abrahæ, intelligendum ſemen Abrahæ* (an etiam tu, Hunni, ad Iudæos ſolum, ſecundum carnem & carnalem propagationem, hanc Dei promiſſionem pertinere exiſtimas, vt es alioquin in cæteris perquam propenſe Iudaizans.) *Sed Judæi Paulũ Apoſtolum non legunt in Synagogis ſuis, quem vos legitis* (ô Prædicantes) *in conuenticulis veſtris. Quid ergo dicat Apoſtolus audiamus. Quærimus enim iam, quemadmodũ intelligendũ ſit ſemen Abrahæ: Fratres, inquit, ſecundum hominem dico; tamen hominis confirmatum teſtamentũ nemo irritum facit, aut ſuperordinat. Abrahæ dicta ſunt promiſſiones & ſemini eius. Non dicit & ſeminibus, quaſi in multis, ſed tanquam in vno, & ſemini tuo, quod eſt Chriſtus. Ecce in quo ſemine benedicentur O M-NES GENTES. Ecce teſtamentum* Dei *aperite aures. Hominis, inquit, confirmatum teſtamentum nemo irritum facit aut ſuperordinat, quare VOS JRRITVM FACITIS teſtamentum Dei,* Auguſt. de Vnit. Eccleſ. c. 6.

DI-

DICENDO, nec in omnibus Gentibus eſſe completum, & periſſe iam de gentibus, in quibus (ſecundum ſpiritualem generationem per Euangelium Chriſti) *erat ſemen Abrahæ? quare ſuperordinatis dicendo, in nullis terris hæredem permanere Chriſtum, niſi vbi potuerit cohæredem habere Donatum?* (Lutherum?) Vis adhuc plura quæ in Auguſtino ſequuntur, Hunni? Crede mihi; ab initio eius libri vſque ad finem, omnia hic ad verbum deſcribenda mihi eſſent, ſi nihil eorum, quę cõtra te, pro nobis illic diſſerit Auguſtinus, prætermittere vellem. Sed ſi cordi tibi veritas eſt, tu ipſe quæſo libellum illum perlege.

Interim hanc velut ſynopſin accipe. In hoc ſcilicet totus eſt Auguſtinus, vt ex hac vnica Eccleſiæ nota, quæ eſt: eſſe *Catholicam*, & per OMNES GENTES diffuſam, demonſtret, & ſuam eſſe veram Eccleſiam, & Donatiſtarum falſam, hoc quaſi generali ſyllogiſmo ſuppoſito: Eccleſia vera Chriſti ſecundum certiſſima & apertiſſima ſcripturarum teſtimonia debet eſſe diffuſa per omnes gentes: nulla vero alia præter noſtram Eccleſiam (*Catholicam* dictam) diffuſa eſt per omnes gentes: Donatiſtarum enim & cæterorum Sectariorum, ſuis quæq; angulis concluſa tenetur: Ergo nec Donatiſtarum, nec cæterorum Sectariorum Eccleſia, vera Eccleſia eſt, ſed ſola Catholica. Minorem vt per ſe claram & notam non probat. Maiorem plurimis ſcripturæ teſtimonijs corroborat. Et primo quidem eam Eccleſiæ veræ diffuſionem per omnes gentes probat ex promiſſione Abrahæ facta, vt paulo ante retulimus. 2. Idipſum probat promiſſione facta Iſaaco Geneſ. 26. *Benedicentur in ſemine tuo OMNES GENTES TERRÆ.* 3. Idem probat ex promiſſione facta Patriarchæ Iacob, Geneſ. 8. *Erit ſemen tuum ſicut arena terræ, & multiplicabitur ſupra mare, & in Africam, & in Aquilonem, & in Orientem. Et benedicentur in te OMNES TRIBVS TERRÆ, & in ſemine tuo.* Vbi concludit Auguſtinus. *Date mihi hanc Eccleſiam, ſi apud vos eſt, oſtendite, vos communicare omnibus gentibus, quas iam videmus in hoc ſemine benedici, date hanc, aut furore depoſito accipite.* Audis, Hunni, in Auguſtino quæ ſequuntur? vis plura? ſummam accipe.

In cap. 7. loca decem ex Iſaia, pro eadem illa vniuerſalitate, & diſ-

Digitized by Google

& diffuſione Eccleſiæ *per omnes gentes* adducit. Cap. 8. ad idem inſtitutum, ſex loca promit ex Pſalmis, in quibus inſignes illi, Pſal. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem, & poſſeſſionem tuam fines terræ*; & Pſal. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorũ.* Quod propheticè de Euangelij prædicatoribus dictum declarat S. Paulus ad Romanos 10. Cap. 9. reſpondet cuidam obiectioni Donatiſtarum pariter & Hunnij, ad quam nos etiam infra ijſdem verbis reſpondebimus. Cap. 10. probat vlterius ſuum inſtitutum ex cap. 24. S. Lucæ. Cap. 11. idem probat ſex teſtimonijs petitis ex Actis Apoſtolorum. Atq; ita ſe habent probationes S. Auguſtini ex Scripturis productæ, quæ omnes aut contra Donatiſtarum Eccleſiam, etiam juxta Auguſtini mentem, non militant, aut noſtrorum quoq; hæreticorum Synagogas euertunt. Et rurſus ijs aut noſtram etiam probauit Eccleſiam Auguſtinus, aut non probauit ſuam.

Num adhuc conſequentia ex Auguſtino deſiderabis Hunni? num adhuc in præfatione ea *per impoſturam eſſe abrupta* vociferaberis? an tui te pudebit tandem? an calumniam fateberis? an verò etiam reſipiſces, & argumentis ſcripturæ ab Auguſtino productis acquieſces? an tuam Eccleſiam, non minus, quam Donatiſtarum, anguſtam, idcirco deſeres? an noſtram Eccleſiam intrabis? Eccleſiam Catholicã? per omnes gentes, & terrarum orbem diffuſam? à Prophetis prædictam? ab Euangeliſtis & Apoſtolis deſcriptam? ab Auguſtino agnitam & defenſam? Faxit Deus, vt ſapias. Quod ſi adhuc cunctaris, neq; tamen Catholicorum veracem informationem contumaciter aſpernaris, auſim polliceri, non deerunt tibi Catholici, ſeu cominus, ſeu eminus agendum ſit, modo ipſe tibi non deſis. Et vt hac te cura ſemel liberem, etſi in noſtro Colloquio Ratisbonenſi ob tuam impudentiam, & planè informem diſputandi rationem, ad hanc rem, vt alioqui diſputationis inſtitutæ ſeries poſtulabat, perueniri non potuit, adhuc tamen quouis tempore parati erunt Catholici, vobiſcum ea de re vlterius agere, modo vos paratos exhibeatis ad obſeruandas legitimæ diſputationis conditiones. Imo iam Doctor Piſtorius (noſti virum) de facto ſeſe in *eas anguſtias* (vt tu vocas) *adigi ſinit*, vt ſuam Ec-

 cleſiam

DICENDO, nec in omnibus Gentibus eſſe completum, & periiſſe iam de gentibus, in quibus (ſecundum ſpiritualem generationem per Euangelium Chriſti) *erat ſemen Abrahæ? quare ſuperordinatis dicendo, in nullis terris hæredem permanere Chriſtum, niſi vbi potuerit cohæredem habere Donatum?* (Lutherum?) Vis adhuc plura quæ in Auguſtino ſequuntur, Hunni? Crede mihi; ab initio eius libri vſque ad finem, omnia hic ad verbum deſcribenda mihi eſſent, ſi nihil eorum, quę cõtra te, pro nobis illic diſſerit Auguſtinus, prætermittere vellem. Sed ſi cordi tibi veritas eſt, tu ipſe quæſo libellum illum perlege.

Interim hanc velut ſynopſin accipe. In hoc ſcilicet totus eſt Auguſtinus, vt ex hac vnica Eccleſiæ nota, quæ eſt: eſſe *Catholicam*, & per OMNES GENTES diffuſam, demonſtret, & ſuam eſſe veram Eccleſiam, & Donatiſtarum falſam, hoc quaſi generali ſyllogiſmo ſuppoſito: Eccleſia vera Chriſti ſecundum certiſſima & apertiſſima ſcripturarum teſtimonia debet eſſe diffuſa per omnes gentes: nulla vero alia præter noſtram Eccleſiam (*Catholicam* dictam) diffuſa eſt per omnes gentes: Donatiſtarum enim & cæterorum Sectariorum, ſuis quæq; angulis concluſa tenetur: Ergo nec Donatiſtarum, nec cæterorum Sectariorum Eccleſia, vera Eccleſia eſt, ſed ſola Catholica. Minorem vt per ſe claram & notam non probat. Maiorem plurimis ſcripturæ teſtimonijs corroborat. Et primo quidem eam Eccleſiæ veræ diffuſionem per omnes gentes probat ex promiſſione Abrahæ facta, vt paulo ante retulimus. 2. Idipſum probat promiſſione facta Iſaaco Geneſ. 26. *Benedicentur in ſemine tuo* OMNES GENTES TERRÆ. 3. Idem probat ex promiſſione facta Patriarchæ Iacob, Geneſ. 8. *Erit ſemen tuum ſicut arena terræ, & multiplicabitur ſupra mare, & in Africam, & in Aquilonem, & in Orientem. Et benedicentur in te* OMNES TRIBVS TERRÆ, *& in ſemine tuo.* Vbi concludit Auguſtinus. *Date mihi hanc Eccleſiam, ſi apud vos eſt, oſtendite, vos communicare omnibus gentibus, quas iam videmus in hoc ſemine benedici, date hanc, aut furore depoſito accipite.* Audis, Hunni, in Auguſtino quæ ſequuntur? vis plura? ſummam accipe.

In cap. 7. loca decem ex Iſaia, pro eadem illa vniuerſalitate, & diſ-

& diffuſione Eccleſiæ *per omnes gentes* adducit. Cap. 8. ad idem inſtitutum, ſex loca promit ex Pſalmis, in quibus inſignes illi, Pſal. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem, & poſſeſſionem tuam fines terræ*; & Pſal. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorũ.* Quod prophetice de Euangelij prædicatoribus dictum declarat S. Paulus ad Romanos 10. Cap. 9. reſpondet cuidam obiectioni Donatiſtarum pariter & Hunnij, ad quam nos etiam infra ijſdem verbis reſpondebimus. Cap. 10. probat vlterius ſuum inſtitutum ex cap. 24. S. Lucæ. Cap. 11. idem probat ſex teſtimonijs petitis ex Actis Apoſtolorum. Atq; ita ſe habent probationes S. Auguſtini ex Scripturis productæ, quæ omnes aut contra Donatiſtarum Eccleſiam, etiam juxta Auguſtini mentem, non militant, aut noſtrorum quoq; hæreticorum Synagogas euertunt. Et rurſus ijs aut noſtram etiam probauit Eccleſiam Auguſtinus, aut non probauit ſuam.

Num adhuc conſequentia ex Auguſtino deſiderabis Hunni? num adhuc in præfatione ea *per impoſturam eſſe abrupta* vociferaberis? an tui te pudebit tandem? an calumniam fateberis? an verò etiam reſipiſces, & argumentis ſcripturæ ab Auguſtino productis acquieſces? an tuam Eccleſiam, non minus, quam Donatiſtarum, anguſtam, idcirco deſeres? an noſtram Eccleſiam intrabis? Eccleſiam Catholicã? per omnes gentes, & terrarum orbem diffuſam? à Prophetis prædictam? ab Euangeliſtis & Apoſtolis deſcriptam? ab Auguſtino agnitam & defenſam? Faxit Deus, vt ſapias. Quod ſi adhuc cunctaris, neq; tamen Catholicorum veracem informationem contumaciter aſpernaris, auſim polliceri, non deerunt tibi Catholici, ſeu cominus, ſeu eminus agendum ſit, modo ipſe tibi non deſis. Et vt hac te cura ſemel liberem, etſi in noſtro Colloquio Ratisbonenſi ob tuam impudentiam, & planè informem diſputandi rationem, ad hanc rem, vt alioqui diſputationis inſtitutæ ſeries poſtulabat, perueniri non potuit, adhuc tamen quouis tempore parati erunt Catholici, vobiſcum ea de re vlterius agere, modo vos paratos exhibeatis ad obſeruandas legitimæ diſputationis conditiones. Imo iam Doctor Piſtorius (noſti virum) de facto ſeſe in *eas anguſtias* (vt tu vocas) *adigi ſinit*, vt ſuam Eccleſiam

cleſiam non niſi ex diuinarum ſcripturarum libris probandam in ſe reciperet. Ecce non exſpectat,ſed ambit certamen,aude ſi quid audes, eoq; magis,quo virum minus amas. Nam ſibi tibi fidis, erit in quo vel eum conuincas, ſi à promiſſis non recedat: ſi recedat, erit in quo velut infidum & meticuloſum arguas.

Sed videamus cætera,quibus ſe tueri conatur Hunnius, ne tã honorificus, Catholicæ, titulus ſuæ Eccleſiæ adimatur. Primò ait, Eccleſiam Catholicam dici, quia *nulli ſit alligata loco ſed in omnibus gentibus, vt Petrus τὸ Catholicum exponit, qui timet ipſum, & facit quod juſtum eſt, acceptus eſt illi. Actor. 10.* Non abſimilis erat olim Donatiſtarũ obiectio,qui cum ab Auguſtino luculentiſſimis Scripturæ teſtimonijs vrgerentur, quibus Eccleſia per totum orbem terrarum diffundenda, non angulis quibuſdam conſtringenda, prædicatur, reſpondebant, hanc diffuſionem ſic accipiendam eſſe, vt quantum quidem eſt ex parte DEI, nemo excludatur, nec deſit quicquam, quo minus per totum terrarum orbem diffundatur: abſolutè verò acceptas Prophetias illas impleri non poſſe: cum humanæ voluntatis malitia obſtet. Ita enim refert Auguſtinus cap. 9. *Quid ad hæc dicturi ſunt, quæ commemoraui ex lege, & Prophetis, & Pſalmis, de Chriſti Eccleſia, quæ toto orbe diffunditur cui malunt repugnare peruerſi, quam communicare correcti? quid, inquam, dicturi ſunt, vtrum hæc falſa eſſe, an obſcura? Sed falſa eſſe, non audent dicere, premuntur enim mole tantæ authoritatis. Hæc ergo cum vera eſſe fateantur, impleri non poſſe contendunt: quaſi aliud ſit Prophetiam crimine falſitatis arguere, quam dicere, quæ prænunciauit, non poſſe compleri. Hoc eſt enim dicere, non eſſe Prophetiam, ſed potius Pſeudoprophetiam. Et cum quæſieris ab eis, cur hæc impleri non poſſint? Reſpondent, quia homines nolunt, cum arbitrio quippe, inquiunt, libero homo creatus eſt, et ſi vult, credit in Chriſtum, ſi non vult, non credit, &c.* Sed quid Auguſtinus? *Quaſi verò*, inquit, *neſcierit ſpiritus Dei, futuras hominum voluntates; quis hoc inſaniſſimus dixerit? cur ergo non hoc potius prænunciauit, quod de voluntatibus hominum ſciebat futurum? Hoc enim modo, quo iſti putant, hæc eſſe prædicta, quiſquis voluerit, poteſt eſſe Propheta, vt cum ea quæ prædixerit, impleta non fuerint, reſpondeat, homines*

mines noluerunt.&c. Audis ergo, Hunni, Eccleſiam non ob eam tantum cauſam ſecundum ſcripturas, vocandam eſſe Catholicam, quia non ſit alligata certo loco, & quòd quiſquis velit, eam per fidem Chriſti intrare, Deoq; in ea placere poſſit; ſed quia re ipſa per *omnes gentes* ſit diffundenda, vt etiam ſuperius probauimus teſtimonijs Cyrilli Hieroſolymitani, Auguſtini, Paciani, Optati Mileuitani, Vincentij Lyrinenſis. Verba autem illa S. Petri ab Hunnio citata, nudam quidem & ſolam fidem hæreticorum damnant; ſed rationem, & notionem *Catholici* adæquatè nequaquam exponũt, vt Hunnius fingit, multo minus rationẽ *Catholici* in alijs ſcripturæ locis toties explicatam negant; imò potius cõfirmant, dum conuerſionem Cornelij, quaſi initium & primitias cõuerſionis gentiũ ad fidem proponunt. Itaq; vt cum S. Auguſtino loquar. *Et illa, & iſta vera eſſe credantur, & nulla inter nos contentio remanebit, quia nec illis veris iſta, nec iſtis veris illa impediuntur.* August. de vnit. Eccleſ. cap. 13.

Secundo obijcit Hunnius. Si intelligamus, Eccleſiã Catholicã debere per omnes omnino gẽtes eſſe diffuſam, tunc nec noſtrã Eccleſiam poſſe dici Catholicã. *Siquidẽ,* vt ait, *plurima ſunt, vaſtiſſimaq́; regna, quæ Romani Pontificis dominatũ non agnoſcunt.* Verum hæc obiectio prouenit ex ignorantia huius attributi, quod adeò magnificè in plurimis ſcripturis de Eccleſia prædicatur, quod nimirum per omnes gentes diffuſa eſſe debeat. Non enim hic ſenſus eſt, quaſi nulla omnino prouincia, nullum regnum, nullus populus eſſe debebat, ad quem de facto Euangelij prædicatio non peruenerit. Sunt enim adhuc apud Indos populi, quibus Euangelium regni nec dum prædicatum eſt; nec etiam prædicatio hæc ante finem mundi conſumabitur, vt SS. Patres ex illo dicto Chriſti colligunt: *Non conſumabitis ciuitates Iſrael, donec veniat filius hõinis* Matth. 10. & patet ex illo Matth. 24. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimoniũ omnibus gentibus; & tunc veniet conſummatio.* Itaque de regnis & populis nondum cognitis ſermo non eſt. Multo minus hic eſt eius attributi ſenſus, quaſi totus aliquãdo mundus ſemel & ſimul, omni infidelitate depoſita, ad Chriſti Eccleſiam aggregare ſe debeat, aut etiã, quaſi de facto omnia & tota mundi regna occupare debeat, vt hic innuit Prædicans: Sed

Digitized by Google

quia planè, loquendo de orbe cognito, ita iam per orbem terrarum diffuſa eſſe debet, vt eius fides ſaltem ſucceſſiuè omnibus quodammodo populis, & in omnibus quaſi Prouincijs, & regnis prædicata eſſe, & de facto iam fructificaſſe debeat, ita vt, moraliter loquendo, verè dici poſſit, eam eſſe diffuſam per omnes gentes. Atq; hanc eſſe veram interpretationem eius attributi, colligitur etiam ex eo, quod hoc eodem ſenſu, iam tempore Apoſtolorum, aliquo modo per totum orbem diſperſa fuiſſe dicitur Eccleſia, vt mox dicetur: & eſt alioqui in ſcripturis frequentiſſimum, vt dicatur de omnibus, quod ferè omnibus, & de toto, quod fere toti cõ-

Luc. 2. Matth. 2. uenit. Sic enim apud S. Lucam deſcribendum fuiſſe legimus *vniuerſum orbem*, ſic etiam *omnis Hieroſolyma* cum Herode turbata dicitur &c.

Tertio obijcit Hunnius. *Eccleſia primitiua Hieroſolymitana, priuſquam Apoſtoli ad reliquas gentes, prædicandi Euangelij cauſa, ſe conferrent, anguſto loco claudebatur, nec tamen ei titulus Catholicæ vllo jure poteſt derogari.* Sed reſpondeo, nullum planè dubium eſſe, quin Eccleſia primitiua, etiam quæ Apoſtolorum tempore floruit, *Catholica*, & re ipſa fuerit, & ſic quoq; appellata ſit; cum hoc ipſum attributum Eccleſiæ, ab ipſiſmet Apoſtolis in Symbolo poſitum eſſe agnoſcamus. Catholica autem fuit, non tantum quia cuilibet ad eam patebat acceſſus, ſed etiam quia eo ipſo tempore prædicatio Euangelij per Apoſtolorum, Apoſtolicorumq; viro-

Paul. Coloſſ. 1. Rom. 1. rum operam *in vniuerſo mundo fructificabat*, teſte S. Paulo; qui etiã idcirco dicebat, fidem Romanæ Eccleſiæ *annunciari in vniuerſo mundo*: Quocirca etiam ſui temporis Euangelicis Prædicatoribus,

Rom. 10. accommodauit illud ex Pſalmo vaticinium: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* At verò ſi præciſè loquamur de Eccleſia Apoſtolorum, pro breui illo tempore, quo ante diſperſionem Apoſtolorum, Iudææ terminis adhuc quaſi continebatur, etſi quidem pro hoc ipſo tempore dici poterat Catholica, non modo quod extra eam nulla alia vera Eccleſia eſſet, ſed etiam quia mox per orbem terrarum juxta diuina Prophetarum vaticinia erat propaganda; imo vero etiam re ipſa ſtatim à

Act. 8. corõatione Stephani diſperſa iã erat *per regiones Iudeæ & Samariæ:*

Atta-

Digitized by Google

Attamen id omnino fateri neceſſe eſt, ei ſecundum eum quidem præciſè ſtatum (qui pauculis duntaxat annis durauit) illam Catholici nominis excellentem notionem, & perfectionem, qua Eccleſia *totum mundum*, juxta diuinas promiſſiones, erat occupatura, vt ſuperius ex Scriptura, & Patribus probatum eſt, nec re ipſa vndiquaque conueniſſe, nec etiam conuenire debuiſſe. Cum hoc ipſum in multis Scripturæ locis fuerit prænunciatum. Ideo enim comparatur *grano ſinapis*, quod initio paruum eſt, ſed poſtea tamen in magnam vbertatem excreſcit. Ideo etiam *fermento* confertur, quod non ſimul, ſed ſenſim et ſucceſſiue totá maſſam corrumpit. Ideo etiam non ſolum Propheta Micheas ex Hieruſalem diffundendam eſſe Eccleſiam per orbem nunciauit; *quia de Sion*, inquit, *egredietur lex, & verbum Domini de Hieruſalem, & judicabit inter populos multos* &c. Sed etiam Chriſtus, vt hoc ipſum fieret decreuit, quando Apoſtolos ſuam prædicationem à Iudæa & Hieruſalem inchoare, & ſic tandem etiam ad gentes progredi juſſit.

Matth. 13. Mich. 4. Luc. 24. Actor. 1.

Neq; verò etiam opus erat, Eccleſiam Chriſti, eo tempore, titulo Catholicæ adeò ſtudioſe inſigniri, quando necdum hæreſes Eccleſiam Chriſti ſciderant, à quibus orthodoxi eo velut *cognomine* ſecernerentur, vt poſtea accidit. Id quod optimè etiam notauit Pacianus in citata illa Ep. 1. ad Sympronianum; quem cum ſic obijcientem induxiſſet Pacianus: *Sed ſub Apoſtolis nemo Catholicus vocabatur*, his planè verbis ei reſpondet. *Eſto ſic fuerit: vel illud indulge. Cum poſt Apoſtolos hæreſes extitiſſent, diuerſiſq; nominibus columbam Dei atq; reginam lacerare per partes & ſcindere niterentur, nonné cognomen ſuum plebs Apoſtolica poſtulabat, quo incorrupti populi diſtingueret vnitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? nonné appellatione propria decuit caput principale ſignare?*

Pac. Ep. 1. ad Sympron.

Quod verò ait Hunnius, primitiuam illam Eccleſiam Hieroſolymitanam *Catholicam* ideò fuiſſe, quia *credidit & profeſſa eſt doctrinam Catholicam, Catholicis libris à Deo proditam*; id ſtultiſſima vanitate plenum eſt. Nam cum eo tempore, aut nullus omnino Euangelicus liber (quod omnino fateri debet Hunnius, qui decretum Apoſtolorum ex Concillo Hieroſolymitano ad Eccleſias

Hunn. apolog. contra Relat. Tana. pag. 96. ſcriptum, *primam ſcripturã in toto nouo teſtamento aſſerit*) aut ſanè libri plures nulli extarent, quomodo ratione doctrinæ in *Catholicis libris* proditæ, tunc Catholica dici potuit, an fortè libri veteris teſtamenti Catholici ſunt? Moſaicæq; proinde doctrinæ Profeſſores, Catholici? Satis nouum hoc: licet ab Hunnio Moſaico Doctore, eiuſque *cathedra Moſaica perpetua*, non alienum.

Sed quarto vrget nos Hunnius perquam ſanè acutè. Ne quis enim ſibi ſuæ Synagogæ anguſtias paruitatemq; exprobret, videri vult, eam ipſam in Scripturis eſſe prædictã. Nam *Catholica Eccleſia*, inquit, *ſub Antichriſti regno ad eam erat redigenda paucitatem ac penè vaſtitatem, vt ſi fieri potuiſſet, in errorem etiam electi fuiſſent inducti.* Matth. 24. Vbi rurſus audire mihi videor Donatiſtas, Auguſtino ſeſe opponentes. Nam & illi probare conati ſunt, fidelium numerum circa ſua tempora, ad eam paucitatem fuiſſe redigendum, ſolaq; Africa concludendum, quibus prolixe reſpõdet Auguſtinus in lib. de Vnit. Eccleſ. cap. 15. & 16. ego breuiter Hunnio hæc duo. Primum, calumniatorem agere Hunnium, non probatorem, quando ſupponit, Papam eſſe Antichriſtum, & ex ea hypotheſi probat, Eccleſiam debuiſſe deficere: Cum tamen hoc ipſum adeo execrabile figmentum, vel ex eo ipſo Mat-

Matth. 24. thæi loco validiſſimè refutetur, ex quo conſtat abbreuiandos fore dies regni Antichriſti, propter electos. Qualis autem hæc eſſet *abbreuiatio*, ſi, vt volunt hæretici, Antichriſtus iam per mille circiter annos in Pontificibus Romanis regnauit? an ſicut apud Deum, ita

Pſal. 89. etiã apud Lutheranos *mille anni ſunt, tãquã dies heſterna, quæ præterijt?* Alterũ eſt. Eccleſiã juxta Scripturæ vaticinia, ita deficere necdum potuiſſe, vt ex eodẽ S. Matthęi capite colligitur. *Sunt enim ad-*

August. de vnit. Eccleſ. cap. 16. *huc nonnullæ gentes*, vt etiam Donatiſtis reſpondebat Auguſtinus, *in quibus nondum eſt Euangelium prædicatum: neceſſe eſt autem impleri omnia, quæ de Chriſto & Eccleſia prædicta ſunt. Oportet ergo & in*

Matth. 24. *eis prædicari, quod cum impletum fuerit, tunc erit finis.* Ita Auguſtinus.

Sed etſi daremus, Antichriſti regnum iamdudum aduenisse, adhuc tamen aduerſarij ex adducto Matthæi loco, ad tuendam Eccleſiæ ſuæ veritatem cõmodi nihil captare poſſent, cũ ex eo potius euidentiſſimè comprobetur, Lutheranorum, aut Caluiniſtarũ Eccleſi-

cleſiam, veram Eccleſiã eſſe non poſſe. Is enim ipſe Matthæi locus teſtatur non obſtante Antichriſti perſecutione, ſemper adhuc *electos*, atq; adeo verè fideles in Eccleſia permanſuros, quod etiã patet ex illa parabola Chriſti de tritico ac zizanijs, in qua patrẽfamilias ſuis miniſtris præcepiſſe legimus, vt *ſinerent vtraq;* (hoc eſt *triticum & Zizania*, bonos ſcilicet & malos) *creſcere vſq; ad meſſem* ſeu finem ſeculi. Quam etiam parabolã Donatiſtis ſæpius inculcauit Auguſtinus, in libro ſæpius citato, quẽ de vnitate Eccleſiæ inſcripſit. Iam adſit Hunnius, & oſtendat, Eccleſiam Lutheranã, hoc eſt eam, quæ ſaltẽ quoad omnia principalia, & vt vocãt, *fundamentalia* fidei capita, cum Lutheranis hoc tempore conſenſerit, ſemper hactenus per mille iam & ſexcentos annos perſtitiſſe. Hoc enim omnino monſtrare debet, ſi eum locũ Matthæi, vbi de electis fit mentio, ad ſe ſpectare velit. Oſtẽdat igitur, vbi & quinã fuerint *electi illi*, quodnam illud *triticum*, quod in hoc mundo inter zizania ſemper hucuſq; *creuerit*, & in poſterũ etiam *creſcere* debeat, *vſq; ad conſummationem ſeculi*; prodeat, inquam, Hunius, ſi quicquam ei viriũ eſt & oſtendat, ſaltem fundamentalia illa, fundamentalia, inquã, ſuæ fidei capita, ſemper his mille annis, à Luthero regrediendo vſq; ad tempora Gregorij Magni (quibus fere Antichriſtum regnaſſe fingunt) ab electis aliquibus credita fuiſſe; cum præſertim etiam hîc fateatur, Eccleſiã Catholicã dici, quia credat & profiteatur *doctrinam Catholicam, Catholicis libris à Deo proditam*, &, vt ait, *doctrinam* V*BIQVE*, E*T* S*EMPER*, *& ab* O*MNIBVS fidelibus, maximè verò SS. Prophetis & Apoſtolis creditam. Quod ipſum*, inquit, *de noſtra Eccleſia (rumpantur vt ilia Papæ) vera cum laude prædicare poſſumus.* Adeſdum ergo, Hunni, & proba, tuam Eccleſiam, tuæq; ſeu fidei, ſeu perfidiæ conſortes, ſemper abſque vlla temporis interruptione, ſaltem per mille hos annos, ne vlterius progrediamur, incolumes perſtitiſſe. Neq; verò id de omnibus fidei quæſtionibus, aut etiam quibuslibet cæremonijs, quas etiã in vera Eccleſia pro varietate temporũ mutari licitum fuiſſe, nemo ſanus dubitat; ſed de fundamẽtalibus duntaxat fidei capitibus à te poſtulo, vt nimirũ probes, à tẽpore S. Gregorij Magni, (ex quo tẽpore præcipuè ad Antichriſtianiſmũ defeciſſe clamatis Eccleſiam) ſemper & ſingulis

Matth. 13.

Auguſt. de Vnit. Eccleſ. c. 15. & 17.

gulis

gulis annis fuiſſe aliquos, qui ſequentia crederent. I. Chriſtum ſecundum humanitatem eſſe vbique. II. Eum non re ipſa & verè quoad animam, deſcendiſſe ad inferos. III. Eum non eſſe in Euchariſtia ante ſumptionem & vſum. IV. Eum in ſacramento Euchariſtiæ non eſſe adorandum. V. Vnius ſpeciei ſumptione in Euchariſtia ſacrilegè violari diuinum præceptum, & mutilari Sacramentum. VI. Sacrificium miſſæ eſſe abominationem & Idololatriam. VII. Non eſſe ſeptem, ſed tantum duo aut tria Sacramenta. VIII. Sacram ſcripturam, & quidem ijs duntaxat libris contentam, quos iam vos pro canonicis agnoſcitis, eſſe vnicam normam omnis doctrinæ fidei: ac proinde nihil diuina fide credendum, niſi quod expreſsè, atq; adeò in ſpecie, in ſacra Scriptura contineatur. IX. Romanum Pontificem non eſſe caput totius Eccleſiæ, ſed Antichriſtum. X. Sanctorum inuocationem Catholicis conſuetam, eſſe Idolomaniam. XI. Sanctarum imaginum & reliquiarum cultum, eſſe Idololatricum. XII. Non eſſe purgatorium. XIII. Indulgentias à Pontifice diſtribui ſolitas eſſe inanes. Nec poſſe, inter Eccleſiæ membra, vnum alteri, ſeu viuo, ſeu defuncto, quoad pœnæ temporalis remiſſionem, propria ſatisfactione prodeſſe. XIV. Iuſtum bonis ſuis operibus non mereri vitam æternam, quin potius opus hac intentione factum, eſſe Deo exoſum. XV. Hominem ſola fide juſtificari. XVI. Ieiunia Eccleſiaſtica conuellere licitum eſſe. XVII. Vota & vitam Monaſticam, juxta regulas cuiuſque ordinis inſtitutam, eſſe ſuperſtitioſam &c.

Hæc tu mihi, Hunni, vt plura taceam, oſtende, SEMPER in Eccleſia, his mille annis, ab aliquibus credita fuiſſe. Quod ſi hoc de multis oſtendere non potes, oſtende ſaltē de paucis. Si nec hoc potes, oſtende ſaltem ætatibus ſingulis, vnum aliquem (quanquā hoc alioqui ad Eccleſiæ perpetuitatem tuendam per ſe nimis parum eſſet) qui eiuſmodi veſtra dogmata, & præcipua fidei capita crediderit, & profeſſus fuerit.

Sed quia, ſatis ſcio, nec hoc quidem vnquam aut poteris, aut voles; oſtende ſaltem vniuerſo iſto tot ſeculorum numero, præteritis, inquam, mille annis, vſq; ad Lutherum, extitiſſe vel vnicum.

qui

qui ſaltem ad momentum aliquod temporis, quoad ſupra dicta illa capita, vobiſcum per omnia ſenſerit. Oſtende hoc, Hunni; non iam, *vt ilia rumpantur Papæ*, ſed ne alioqui ob ingens hoc tuum, & turgentiſſimum mendacium, quo dixeras, Eccleſiæ tuæ doctrinã. *VBIQVE, & SEMPER, & ab OMNIBVS fidelibus, maximè vero ſanctis Prophetis & Apoſtolis creditam*, tibi *rumpantur ilia*; oſtende, ſi vir probus es, ſi exiſtimationis tuæ amans, ſi ſalutis animarum ſitiens, ſi non verſipellis tergiuerſator, ſi non mendax veterator es; oſtende, inquam, vnicum eiuſmodi fidelem, in hac tota tot annorũ ſerie, nec de Apoſtolis iam, vel Prophetis quæro, quos tamen ipſos certum eſt, ab Aduerſarijs noſtri temporis diſſenſiſſe: ſed de vnico fideli, qui intra ſpacium mille annorum, ante Lutherum vixerit. *Semper* enim, ais, & *vbiq;*, & *ab omnibus* fidelibus fuiſſe creditam: edic Hunni, nomina vnum, non requiro multos, quanquam & hos deberes, ſi mentitus non es: neq; peto vnũ qualibet ætate demonſtrari, quanquam & hoc ob illud tuum (*ſemper*) iure poſcerem; ſed vel intra decem ſeculorum decurſum, virum vnicum, & nec hunc quidem, qui omnia omnino veſtræ fidei pronunciata tenuerit, ſed qui principalia ſaltem, & fundamentalia illa veſtræ fidei capita crediderit. Nec tu mihi infantes hîc nomina, quos ante Lutherum in Eccleſia Catholica baptizatos cita mors rapuit, cœloq; præmaturos intulit. Primum enim tu ipſe, *præter infantes*, alios fideles fuiſſe aſſeris: *Eccleſia*, inquis, *electorum, licet puſillus grex, fuit manſitq; Eccleſia Catholica, vnà cum baptizatis infantibus, qui abrepti ſunt, antequam famoſa illa venefica cor eorum vulneraret ac peruerteret.* *Ex illo ergo, vt ais, puſillo grege*, quem vna cum infantibus orthodoxum permanſiſſe dicis, vel vnicum à te oſtendi peto, qui præteritis mille annis, ante Lutherum, vel vnum annum, vel vnum menſem, vel vnum diem, vel vnũ ſaltem temporis momentum, illa veſtræ fidei dogmata tenuerit. Quod ſi præter infantes neminem dabis, vt profecto nunquam dabis, dicam, te mentitum eſſe, quando alium puſillum gregem, præter infantes, ante Lutherum ſemper orthodoxum fuiſſe jactabas. Dicam etiam, te ineptire, quando, vt Eccleſiæ tuæ vniuerſalitatem tuearis, ſolos producis infantes: quaſi Eccleſia ſine Pa-

 ſtori-

Epheſ. 4. ſtoribus, ſine Doctoribus, ſine externa fidei profeſſione eſſe poſſit; contra Apoſtolum, qui contrariũ apertiſſimè pronunciat. Dicã poſtremò, te inſanire; infantes enim, quos nominas, noſtri ſunt, non veſtri, à nobis & in noſtra Eccleſia Catholica baptizati, non in veſtra, quæ tum adhuc nulla fuit. Quod ſi impudens eſſe perges, eoſq; omnino Eccleſiæ tuæ vendicare ſtudebis, & forſan etiã dixeris, eos omnia omnino veſtræ fidei capita actualiter credidiſſe, tunc à te viciſſim petam, vt hanc ipſam tuam adeò confidentem aſſertionem vnius ſaltem fidelis teſtificatione comprobatam facias: Infantes nimirum illos actualiter credidiſſe, & illa quidem ipſa fundamentalia veſtræ fidei dogmata credidiſſe. Quod ſi clamabis tantum: infantes noſtri ſunt, ad noſtram Eccleſiam pertinent, noſtra dogmata crediderunt; id ſcriptura loquitur, id Prophetæ, id Apoſtoli teſtantur: non credo, ſed aio, te impudentiſſimè mentiri, & vel Scripturas non intelligere, vel turpiſſimè pro tua libidine in alienos ſenſus rapere, & ad tua figmenta trahere. Idq; vel ob hoc ipſum confidentiſſimè dicam, quod neminem ex omni vetuſtate proferre potes, qui Scripturas eo modo intellexerit, quo tu nunc illas per inſolentiſſimam ſtoliditatem interpretaris. Atq; hæc de Catholici nomine, occaſione præfationis, & notarum Hunnianarum dicta ſunto. Satis enim intellexiſti, Hunni, quid velim, idque, vt quam primum facias, etiam nunc atq; etiam rogo. Quod ſi nimis multa fundamentalia fidei veſtræ dogmata tibi commemoraſſe videbor, excipe quæ vis, etiam alia ſi lubet repone, modo fatearis, te ea quæ excipis, in tota antiquitate ab aliquo orthodoxo & fideli credita fuiſſe, commonſtrare non potuiſſe. Iudicet cœlum & terra inter me & te, Hunni, an non æqua ſit hæc mea poſtulatio.

CAPVT VI.

DE PRIMA DECADE ABſurdorum, quæ Prædicantibus in præfatione tribuuntur.

Textus

Digitized by Google

Textus præfationis.

SEXTVM; *ne fortè minus attentum, aut ſagacem Lectorem prætereant multiplices Prædicantium abſurditates, in Colloquio commiſſæ, viſum eſt hîc operæ pretium, breuem earum Catalogum Lectori exhibere, & quo huius Protocolli loco quæque inueniatur, quaſi digito monſtrare. Quod etiam ingratiam Neoburgenſium Prædicantium facere placuit, ne in Catholicis Collocutoribus poſthac* deſiderare *pergant*, quod dogmatum quorundam à ſe prolatorum abſurditatem nondum agnoſcere videntur, aut ſanè fateri erubeſcunt. *Sunt autem hæ præcipuæ. &c.*

APOLOGIA.

CIRCA abſurditatum Prædicanticarum catalogum in præfatione poſitũ, illud contra Hunnianas calumnias generatim obſeruabit Lector, non fuiſſe ſcriptori præfationis propoſitum, ſententias tantum abſurdas Prædicantium referre, ſed etiam turpiora quædã cõtra Dialecticam peccata, atq; pueriles quaſdam, & ridiculas conſequentias ex inſignioribus indicare. In quibus quidẽ omnibus referendis, breuitatis ſtudio, ne præfationis, ſiue indicis limites tranſcenderẽtur, id maximè curæ fuit, vt et abſurda ipſa optima quidẽ fide, ſed quam pauciſſimis verbis indicarentur potius, quam commemorarentur. Vnde etiã neceſſe fuit, ea alijs ſubinde verbis, quã in Protocello legebãtur (præſertim quoad abſurdas cõſequentias in pfatione explicatas) notare. Quæ quidẽ adeo fide optima geſta ſunt, vt hæc ipſa Lectori in præfatione nõ obſcurè fuerint ſignificata. Ideò enim notanter dixit præfatio, viſum eſſe exhibere *breuẽ catalogũ*, & quidẽ non ſententiarũ abſurdarũ tantũ, ſed generatim, *abſurditatũ* à Prædicantibus in Colloquio *commiſſarum*, idque ne alioqui *Lectorem minus attentũ aut ſagacem ea præterirent*. Ideo etiã

in ipſo Præfationis contextu adſcripta eſt pagina Protocolli, vt in eo abſurdum notatum Lector quæreret, indeq; adhibito judicio colligeret, quod adeò omnem fraudem ſuſpicionis excludit, vt ſtultum ſit, exiſtimare, præfatorem ſi quidem mala fide quidquam egiſſet, adeo ſtudiosè voluiſſe paginas añotare, ex quibus de fraude conuinceretur. Ob eandem demum cauſam, vt verba præfationis à verbis Prædicantium etiam vel à luſco facilè dignoſcerentur, eam quoad typum cautelam adhibere ſtudio fuit, vt ea diuerſo charactere ſiue typo impreſſa exhiberentur. Quibus obſeruatis, facilè deinceps calumniæ Prædicantis refutabuntur, quando verba Protocolli non eſſe poſita, aut non integre poſita, aut conſequentiam hanc vel illam à ſe non eſſe factam clamitabit: Porro vt Hunnianarum calumniarum planior ſit refutatio, ea ſic inſtituetur, vt in primis abſurda ipſa verbis præfationis integrè referantur, (quod aliquando non fecit Hunnius, etſi facturum ſe promiſiſſet) deinde vt Hunnianæ reſponſionis refutatio ſubnectatur.

I. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD Prædicantes initio ſtatim iniquiſſimis poſtulatis, amplius quam horæ ſpacium, progreſſum diſputationis ſunt morati. Pag. 11.

APOLOGIA.

Part. 1. cap. 3. HOC veriſſimum eſſe, à me in relatione compendiaria luculenter demonſtratum eſt, & ex Protocollo ſatis colligi poteſt. Summa eſt. Vrgebant aduerſarij hæc duo poſtulata. Primum, vt à Catholicis judex nominaretur, atq; etiam declararetur, an Pontifex ſolummodo cum concilio, an etiam abſq; concilio, an cum diligentia, an etiam abſq; diligentia definiens infallibilem authoritatem judicandi habeat. Secundum, vt ſpecificarentur traditiones Catholicorum, quas extra Scripturam pro fidei norma haberent.

Sed

Digitized by Google

Sed primum poſtulatum partim ſuperuacaneum,partim iniquum erat. Illud quidem,quia in theſi Catholicorum iam declaratum fuerat,non ſcripturam,ſed Eccleſiam eſſe judicem: hoc ipſo quod *definitiones Eccleſiæ*, pro communi fidei norma aſſignabantur. Is enim vtiq; Iudex eſt, in rebus fidei, qui controuerſias fidei communi, & infallibili authoritate poteſt definire. Neque vlla ratione opus erat,vlterius in theſi explicare modum, & immediatum ſubiectũ Eccleſiaſtici Iudicis,an videlicet eſſet concilium,an Pontifex,an immediatè vtriq; &c. non ſolum quia hoc nulla lege cautum erat,ſed etiam quia Catholicis de hoc principaliter in hac re cum hæreticis non eſt controuerſia. Sed de illo, anné Scriptura, an verò Eccleſia ſit infallibilis judex, abſtrahendo tandem à modo,& immediato ſubiecto illius authoritatis: Sicut nec illi etiam ita in particulari ſuum judicem (Scripturarum videlicet canonicarum numerum,& ſeriem) explicarant. Vnde etiam patet iniquiſſimum & abſurdiſſimum fuiſſe hoc poſtulatum, quatenus ſimul petebatur, vt declararetur,an Pontifex ſolum cum concilio, vel diligentia, an etiam abſq; concilio & diligentia definiens,infallibilem in judicando Spiritus ſancti aſſiſtentiam habeat: quandoquidem hæc quæſtio eò minimè ſpectat, vt explicetur,quis ſit judex,ſed vt,quibus medijs vti debeat, ne malè ſuo munere fungatur,innoteſcat.

Alterum poſtulatum apertiſſimè iniquum erat: non ſolum quia nec aduerſarij in ſuis theſibus ſuam illam normam ſpecificauerant,ſed etiam quia à ſtatu propoſitæ controuerſiæ erat alieniſſimum; cum generatim tantum eſſet quæſtio,an Scriptura ſola eſſet vnica norma fidei & religionis, an vero etiam alia quædam norma præter Scripturam (puta traditiones,& Eccleſiæ decreta) eſſet agnoſcenda: Sed in ſpecie de his vel illis traditionibus minimè erat quæſtio,vt nouit ipſemet Hunnius. Etſi quidem noſtri etiam ante diſputationis initium ſeſe paratos obtulerant, abſoluta hac generali controuerſia,diſputare quoq; in particulari de his, vel illis traditionibus, aut fidei articulis. Atque hæc licet in ſuo Apologetico tangat Hunnius,adeo tamen non refutat, vt partim potius decliner,partim meris mendacijs oppugnet. Verbi gratia,

Ait primo, ſe futuros fuiſſe contentos, *ſi vel nudè Pontificem nominaſſemus judicem*, tametſi illud alterum, de adhibendo ſimul cõcilio atque diligentia non explicaſſemus, cum tamen Hailbronnerus non ſolum in prima ſtatim iteratione poſtulati; ſed idem etiam poſt dimidium horæ ſpacium & amplius, irrequietus poſtularet, cum recitata ſententia Gregorij de Valentia diceret, *quæro, an hac veſtra quoque ſit ſententia.* Secundo ait Hunnius, *ſe interrogatos de numero librorum canonicorum, è veſtigio reſponſuros eoſque nominatim expreſſuros fuiſſe.* quod mendacium ipſemet Hunnius ſtatim redarguit, cum ſic loquitur. *Quæſiti volebamus è veſtigio nominatim exprimere, quænam Scripta biblica habeamus pro authenticis, nimirum ea omnia veteris teſtamenti, quæ canon Hebræus complectitur, quæ item ſuis allegationibus Chriſtus & Apoſtoli demonſtrarunt eſſe authentica. Rurſum ea omnia noui teſtamenti, quæ Eccleſia primitiua nouerat ab authoribus Apoſtolis, & Euangeliſtis, quorum nominibus inſignita ſunt, eſſe profecta.* Egregia profecto declaratio, quaſi verò hoc ſit *nominatim* exprimere ſcripta et libros canonicos; quaſi verò non ſit de hoc ipſo controuerſia, quænam ſcripta canonica Eccleſia primitiua nouerit ab Apoſtolis & Euangeliſtis eſſe profecta. Certe quidem ipſimet Collocutores Pſeudoeuangelici Colloquio præſentes inter ſe non conſentiunt, imo nec Hunnius quidem ſecum ipſo hac in re conuenit, vt alibi oſtenſum eſt.

Proto. Monac. pag. 17.

Exam. Hunn. Relat. cap. 18.

Tertium Hunnij mendacium eſt, cum ait *de traditionibus ex profeſſo fuiſſe diſputandum in Colloquio.* Vbi ſi de traditionibus in genere loquitur, an videlicet omnino aliquæ traditiones (abſtrahendo quænam ſint in ſpecie) pro norma fidei ſint admittendæ, tunc mentitur, hanc cauſam eſſe poſſe, cur poſtulatio illa aduerſariorum, de ſpecificandis traditionibus, iniqua cenſeri nõ queat: ſi verò loquitur de traditionibus in ſpecie, tunc rurſus apertiſſimè mentitur; cum de his in ſpecie per ſe nihil agendum fuerit, vt ſupra oſtendi. Atque hæ ſcilicet ſunt *irrefutabiles* illæ rationes, quibus in ſuo Apologetico ſe oſtendiſſe jactitat, poſtulata illa ſuæ partis iniqua non fuiſſe. Sed de Apologetico Hunniano alibi plura.

pag. 28.

Digitized by Google

II. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD explicare, quænam in ſpecie traditiones ſint norma fidei, & an Pontifex cum concilio, an etiã abſque concilio definiens, ſit judex, ſit explicare terminos Normæ & Iudicis, *pag. 4.*

APOLOGIA.

NEGAT Hunnius, hoc in citata pagina aſſeri. Quia nimirum totidem verbis illic non aſſeritur. Sed nulla de verbis, de re nobis omnis controuerſia eſt. Cõſtat autem Hailbronnerum, cum vt ſupra dictum eſt, pertinaci contentione à Catholicis poſtularet explicationem illarum quæſtionum, quænam videlicet in ſpecie traditiones norma fidei ſint, & an Pontifex cum concilio, an etiã abſque concilio definiens ſit judex, inter alias rationes ſuæ poſtulationis adduxiſſe hanc, quia termini theſis juxta præſcriptam legem ſint explicandi; quæ ſanè ratio ſupponit, nominationem illã judicis & ſpecificationem traditionum eſſe explicationem terminorum. Verba autem Hailbronneri citata pagina 14. ſic habent: *Vos procul dubio æquè debetis EXPLICARE TERMINOS veſtræ theſis, vt nos. Subiectum ergo explicare non recuſabitis &c.* Quam poſtulationem etiam antea vrſerat Hailbronnerus, cui idcirco D. Gretſerus his verbis reſponderat. *Video duo terminos. Iudex eſt ille, qui jus dicit, qui lites cognoſcit, qui cognitis cauſis fert ſententiam, qui lites dirimit, alteri parti abſolutionem, alteri damnationem annunciat. Norma eſt, ad quam aliquid exigitur, ſiue probatur &c.* Quid, quod ipſemet Hunnius ſatis agnoſcit id, quod hoc loco Prædicantibus in præfatione tribuitur, eis reipſa vere tribui. Hinc enim idipſum tanquam probe factum defendere nititur, dum ait: *explicationem termini nõ verti intra vnius quæſtionis, (quid ſit?) anguſtias: Sed euolui etiã quæſtione quis ſit? quin & alijs quæſtionib⁹ methodi.* Nouum planè, & hactenus apud Dialecticos inauditum dogma Hunnij, quod ſi verum eſſet, tunc ſane acri reprehenſione digni forent

Protoc Monach. pag. 14.

Prot Monach. pag. 13.

Digitized by Google

forent lexicographi omnes, tam græci, quam latini, qui cum toties hactenus terminos ſeu vocabula Iudicis, Imperatoris, Pontificis, Regis, Ducis, &c. explicarint, nunquam tamen curarunt explicare, quis judex, quis Imperator, quis Pontifex, &c. eſſet; multò minus alias quæſtiones methodi. An fortè Hunnius, vt ineptus ille Didaſcalus, *terminum* pro *definitione* ſumit, vt quandoq; facit Ariſtoteles, quem Didaſcalus ille legit, & non intellexit? Sed de nulla definitione Iudicis aut normæ agebatur in Colloquio, & ſi maximè definitio judicis & normæ explicata fuiſſet, nihil hoc tamen poſtulationi aduerſariorum ſatisfacere potuiſſet.

And. Libauius in ſua Analyſ.

III. Absurdum Prædicantium.

Textus præfationis.

QVOD S. *Petrus priore epiſtola cap. 3. dicat*, quouis tempore reddendam eſſe rationem fidei, *pag. 18. quod eſt deprauare ſcripturam.*

APOLOGIA.

ITA veriſſimè & optimo jure Præfatio. Sunt enim hæc expreſſa verba Hunnij loco citato. *Petrus ait priore cap. 3. quouis tempore reddendam eſſe rationem fidei, cum tamen Scriptura ſolum dicat: Parati ſemper ad ſatisfactionem, omni poſcenti vos rationem, de ea quæ in vobis eſt ſpe*, vt in omnibus biblijs græcis & latinis, Catholicis & hæreticis habetur. Aliud eſt autem, ſemper eſſe *paratum* debere ad reddendam rationem fidei, aliud, ipſo facto ſemper fidei rationem *reddere* debere. Quid ergo ad hanc turpiſſimam Scripturæ deprauationem, & in ipſum ſpiritum ſanctum contumelioſum falſi crimen Hunnius? Reſpondet. *Petrus ait, cuiuis petenti reddendam eſſe rationem fidei. petebamus autem nos à Jeſuitis, vt circa quæſtionem de Iudice, rationem redderent fidei ſuæ: ergo tenebantur illam reddere. Quæ hic deprauatio Scripturæ? Neſcit aſinus iſte quid dicat, aut ſtatuat.* Ita breuiter ſe expedit Hunnius, qui ſi aſinus non eſſet, nō ita impudenter contra ſtimulũ calcitraret, neq; ita extra chorũ ſaltaret.

1. Pet. 3.

Non

Non enim quæritur, an Hunnius in ſua hac ratiocinatione ſcripturam deprauet, cum ſic loquitur: *Petrus ait, cuiuis petenti reddendam eſſe rationem fidei*; Sed, annon in Colloquio deprauarit, cum diceret, Petrum aſſerere, *QVOVIS TEMPORE reddendam eſſe rationem fidei.* Aliud eſt autem, *quouis tempore* reddendam eſſe: aliud, *cuiuis petenti* reddendam eſſe. Non enim ſi *cuiuis petenti* ratio reddenda eſt, *quouis etiam tempore* reddenda eſt. Quid? quod iam quoque nouum deprauatæ Scripturæ crimen committit, cũ nec hoc ipſum quidem dicat Petrus, *cuiuis petenti reddendam eſſe rationem fidei*, quaſi videlicet jubeat, fidei rationem quotieſcunq; exigitur, ſine mora reddendam: Sed tantum jubet, eſſe ſemper *paratos* ad rationẽ cuiuis petenti reddendam, ſuo videlicet tempore, cum id circumſtantiæ poſtulare videbuntur, vt ſupra dixi. Sed de hoc Abſurdo fuſius actum eſt in examine Huñianæ Relationis. **Exam. Hunn. Relat. cap. 15.**

IV. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD *manifeſtiſſimè illic Apoſtolus* de actu cõfeſſionis, & non ſolum de animo prompto **1. Pet. 3.** *loquatur, quod eſt contra apertiſſimum textum Apoſtoli. Pag. 18.*

APOLOGIA.

AGNOSCIT Hunnius hoc ſuum eſſe pronunciatũ, ſed vt verum tuetur. Nam ſi non etiam Apoſtolus de actu Confeſſionis loqueretur, futurum, vt nunquã aliquis ipſo facto debeat rationem reddere. Sed rurſus extra chorum ſaltat Hunnius, non enim quæſtio erat, an Apoſtolus aliquando juberet rationem fidei eſſe reddendam, ſed an hoc *ſemper*, ſeu vt Hunnius textum recitabat, *quouis tempore* facere juberet. Itaq; de particula illa, *ſemper* ſeu, *quouis tempore*, quæſtio erat, an illa ſolum ad diſpoſitionem animi ſpectaret, vt quidem nos dicebamus, & textus ipſe manifeſtè ſignificat, an verò etiam ad ipſum *actum*, vt turpiſſimè contra textum aſ-

Digitized by Google

ſeruit Hunnius. Hoc veriſimum eſſe, patet ex verbis Protocolli. Cum enim eum Apoſtoli locum obieciſſet Hunnius, D. Gretſerus his ei verbis reſpondit: *Præcepta affirmatiua non obligant, niſi certis conditionibus. Petrus loquitur de animo, vt animus ſemper ſit promptus & paratus ad rationem reddendam. Ita ego omni tempore paratus ſum nominare meum Iudicem, ſed illo, quo teneor.* Quibus verbis mox impudens ſuum illud pronunciatum ſubijcit Hunnius. *Apoſtolus manifeſtiſſimè contradicit explicationi veſtræ, imò de actu Confeſſionis, & non ſolum de animo prompto loquitur.* Vides, Hunni, quàm peruersè locum Apoſtoli recitaueris, & quam nunc frigidè te excuſaueris? Sed de hoc etiam abſurdo in examine Relationis Hunnianæ actum eſt.

Proto. Monac. pag. 18.

Exam. Hunn. Relat. cap. 15.

V. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus præfationis.

QVOD infantes fœmellæ veteris teſtamenti omnes, & paruuli ante octauum diem decedentes fuerint abſque alio externo remedio ſaluati. Pag. 24. Cum interim ipſis etiam Prædicantibus confitentibus, tam liberalis beneficentia & gratia Dei infantibus noui teſtamenti nō contingat. pag. 31.

APOLOGIA.

RESPONDET Hunnius, circa fœmellas veteris teſtamenti, particulam illam, OMNES, à ſe vſurpatam non eſſe, & ſe citra huiuſmodi inæqualitatem, vtriuſque teſtamenti infantibus in Eccleſia natis, & per caſum neceſſitatis ab ordinario externo medio excluſis ſalutem indubiè polliceri. Sed hoc ipſum nimirū volumus, vos adeo abſurdas ſententias in Colloquio effutiuiſſe, vt eas etiā ipſi tegere niteremini. De re igitur nobis, non de vocibus quæſtio eſt, cum ſatis alioqui conſtet, vos tenebriones eſſe, & ſtudioſe in terminis obſcuritatem conſectari, ac quaſi vulpes veſtrorummet pedum veſtigia conſulto occulere, ne agnoſcantur. Dixiſſe

autem

Digitized by Google

autem re ipſa Prædicantes in Colloquio, *omnes infantes* fœmellas veteris teſtamenti, ſiue ex Abraham oriundas, ante vſum rationis decedentes ſaluatas fuiſſe, adeò manifeſtum eſt, vt neq; iam negare hoc auſus fuerit Hunnius: neque niſi omnia, quæ tanta contentione per duas quaſi Seſſiones euomuerat reſorbeat, id vnquam negare poſſit. Diſertè enim citata pag. 24. vt & pag. 25. 26. & 27. Item Seſſ. 2. pag. 29. ait infantes fœmellas veteris teſtamenti, ſiue quod idem eſt, ex ſemine Abrahæ oriundas ſaluatas fuiſſe, nullo externo remedio, ſed vi illius promiſſionis diuinæ Abrahamo factæ. Geneſ. 17. *Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te*, ac virtute meritorũ Chriſti: nullius alterius remedij mentione facta. Cum igitur illa duo media à Prædicantibus aſſignata æqualiter ad omnes fœmellas ex ſemine Abrahæ oriundas pertineant, planè opus eſt, fateri, aut omnes eiuſmodi fœmellas ita ſaluatas eſſe; aut quod Prædicantes nunquam dixerint, nullas, his quidem præcisè medijs, ſine alijs adminiculis, quibus & promiſſio, & vis meritorum Chriſti eis applicaretur, fuiſſe ſaluatas. Quæ cum ita ſint, euidenter ſequitur, Prædicantes iſtos ſtatuere gratiam Dei munificentiorem, erga infantes quidem in veteri teſtamento extitiſſe, quam in nouo teſtamento, in quo nunquam hactenus dicere auſi ſunt, omnes omnino infantes, etiam fœmellas Chriſtianorum ſine baptiſmo defunctas, fuiſſe ſaluatas; cum ſolũ aſſerant, *in neceſſitate* duntaxat infantes ſine baptiſmo ſaluari, atq; interim proteſtentur, ſibi nihil eſſe cum Caluiniſtarum ſententia commune, (vt videre eſt in ipſo Protocollo pag. 30. 31.) aſſerentium omnes omnino infantes Chriſtianorum ſine baptiſmo defunctos ſaluari. Neq; tamen D. Gretſerus vnquam negauit, paruulos ante octauum diem mortuos in veteri teſtamento ſaluos eſſe potuiſſe; vt ex verbis mutilatè citatis innuere vult Hunnius tum in Examine ſuo, tum in Apologetico; ſed vt ex omnibus antecedentibus, atque conſequentibus euidens eſt, eò ſolum ſpectabant ipſius verba, vt indicaret, non promitti eiuſmodi paruulis in ſcriptura beatitudinem, ſine remedio aliquo externo. Quocirca fruſtra in ſuo Apologetico Hunnius adducit exemplum paruulorum, qui in deſerto nati, neq; tamen, niſi poſt multos annos circumciſi ſunt, fruſtra eos, qui Pha-

Digitized by Google

raonis juſſu ante octauum diem in profluentem abiecti, fruſtra infantes Bethlehemiticos infra octauum diem à ſatellitibus Herodis immaniter pro Chriſto trucidatos. Nemo enim negauit, hos ante octauum diem defunctos ſaluos fuiſſe, aut ſaltem eſſe potuiſſe; ſed ſolum negatum fuit, hos abſque remedio externo ſaluatos fuiſſe: quod ſanè veriſſimum eſt. Et infantibus quidem Bethlehemiticis pro Chriſto occiſis, tametſi maximè omne aliud remedium externum defuiſſet, ſolum Martyrium (quod ipſum externum quoddam ſalutis medium eſt) ad ſalutem profuiſſe, communis eſt ſenſus ac conſenſus ſanctorum Patrum & Eccleſiæ. Quale vero remedium in particulari habuerint cæteri, præter circumciſionem, etſi quidem vndiquaq; exploratum non ſit, habuiſſe tamen certum eſt, vt alibi fuſius oſtenſum: vt ſanè ex noſtra ſententia minimè conſequens ſit, populum Iſraeliticum poſtremis annis ex pleriſq; infidelibus conflatum fuiſſe, quod ineptè obijcit Hunnius: cum & adulti proprijs actibus fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ &c. & paruuli alio quodam remedio externo præter circumciſionem, ſaluari potuerint, vt dictum eſt. Sed de hac re pluribus actum eſt in examine Hunnianæ Relationis, & à P. Iacobo Gretſero digreſſione 2. contra Hunnium.

Apolog. pag. 108.

Exam. Hun. Relat. ca. 10. 15. & 21.

VI. Absurdum Prædicantium.

Textus præfationis.

QVOD infantes noui teſtamenti in caſu neceſſitatis ſine baptiſmo ſaluentur. Ibid: quicquid dicat Chriſtus Ioannis 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

APOLOGIA.

HOC abſurdum in ſuo examine juſſerat Prædicans requirere in criminibus falſi, quæ nobis calumnioſe impacta ſeparatim poſtea recenſuit. Sed quia forte miſer ſcintillantibus è cereuiſia oculis textum illum

Præ-

Digitized by Google

Præfationis legerat, aut eum alioqui ta apertæ ſuæ calumniæ pudebat, ideò tandem ſera pœnitentia ductus ſuam temeritatẽ ipſemet damnat, & circa finem ſui examinis inter mendas Typographicas reponit etiam hoc erratum, fateturq́; , crimen falſi nullum hîc eſſe commiſſum. Ex quo colligi poteſt, quàm conſideratè ſua illa falſi crimina expenderit Prædicans, quando ipſemet vnum ex illis retractare opus habuit. Sed facile condonari potuiſſet Hunnio hæc incuria, ſi vel ſola eſſet, vel ſola damnata non eſſet. Quid verò iam ad ſuum pronunciatum reſpondet? Nimirum à nota Abſurditatis illud vindicare conatur duabus rationibus. Prima; *In veteri teſtamento,* inquit, *non minus rigida lex fuit; maſculus cuius caro præputij octauo die circumciſa non fuerit, eradicabitur è populo ſuo. Nihilominus exceptus erat extraordinarius caſus in maſculis in deſerto non circumciſis. Joſuæ 5. in Ioanne quoq́; ſanctificato in vtero matris. Sic regula Chriſti Ioannis tertio propoſita, admittit exceptionem in latrone; ſimiliter in Eunucho, Cornelio, Lydia, & innumeris alijs, quos ante baptiſmũ Deo placuiſſe, ſaluificamq́; fidem habuiſſe conſtat, Act. 8. 10. 16.*

Sed nihil agit Hunnius, niſi quod priorem abſurditatem ſuam nouis ineptijs cumulat. Quæſtio eſt, an poſt baptiſmi legem promulgatam locus ille Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit,* &c. quoad infantes vllam limitationem & reſtrictionem admittat, præter eã, quæ ex certiſſima, & perpetua Eccleſiæ traditione ad nos peruenit, de infantibus ob Chriſti nomen Martyrio affectis. Negant enim Catholici omnes cũ S. Auguſtino, qui hanc ipſam velut ſuo quoq; tempore exploratam, & planè Catholicam doctrinam non ſemel tradit, vt à me in examine Hunnianæ Relationis oſtenſum eſt, vt proinde jure in Abſurdis numeretur contraria Prædicantium ſententia, qui contra Scripturam & certiſſimam Eccleſiæ ſententiam, in caſu neceſſitatis, Chriſtianorum infantibus, ſine baptiſmo fluminis aut ſanguinis decedentibus, ſalutem addicunt. Neque ad eam abſurditatem amoliendam quidquam faciunt exempla illa Hunnij. Diſtulerunt Iſraëlitæ in deſerto (idque ſecundũ ipſius Dei mandatum, quo in omnes horas ad iter faciendum, & mouenda caſtra parati eſſe debebant Num. 9.) circumciſionem vltra octauã diem ſine peccato, non obſtante lege circumciſionis:

Ioan. 3.

Auguſt. lib. 3. de orig. animæ cap. 9. & ep. 20. ad Hieron.

Exam. Hunn. Relat. cap. 10. & 15.

Num. 9.

Digitized by Google

quid tum? ergo infantes ſine circumciſione, aut externo remedio ſaluati ſunt? ineptũ, nam eoſdem poſtea circumciſos eſſe, ipſemet Hunnius fatetur Ioſuæ 5. Si qui verò ſine circumciſione fortaſſe mortui ſunt, eos non ſine alio remedio externo ſaluatos eſſe, ex ipſa lege circumciſionis & baptiſmi diſcimus. Deinde nulla lex erat, quæ ſine circumciſione ita vniuerſaliter vitam æternam abrogaret Iſraëlitis, qualis oſtenditur de baptiſmo. At profert Hunnius illam: *Maſculus cuius caro præputij octauo die circumciſa nõ fuerit, eradicabitur è populo ſuo.* Sed primum vbi hoc inuenitur Hunni? cur locum ſcripturæ non annotaſti? ſciebas nimirum te malè aſ- Geneſ. 17. ſuiſſe particulas illas (*octauo die*) vt hunc locum Geneſis, ad infantes traheres; cum alioqui voces illæ nec in latina editione, nec in Hebraica reperiantur, cui nolis velis poſtponere debes græcã, niſi tua ipſe principia velis euertere. Deinde eſto, addatur vox illa, quid obtinebis? vbi vita æterna generatim abrogatur infanti octauo die non circumciſo? Dices, verbis illis: *eradicabitur de populo ſuo.* Sed dices tantum, non probabis. Cum interpretes te longè doctiores ſentiant & probent, eis verbis mortem & pœnam ſolam temporalem deſignari. Nec aliter explicaſſet Auguſtinus, ſi textum non aliter legiſſet. Demum ſi maximè intelligerentur verba illa de pœna ſpirituali æternæ mortis, quid tum? ergo quia lex illa in Iſraelitis per deſertum peregrinantibus (ipſomet Deo circa legem ſuam diſpenſante, vt ex citato Numerorum capite colligitur) admittebat exceptionẽ quoad temporis circumſtantiam, lex quoque illa baptiſmi reſpectu infantium ſimiliter admittat exceptionem quoad ſubſtantiam præcepti? exceptionem, in quam, non quã Deus fecit, & Eccleſia tradidit, ſed quam Hunnius, & cætera eiuſmodi hæreticorũ male feriata capita confinxerunt? Pudeat te, Hunni, tandem tuæ adeo impudentis confidentiæ.

Vid. Hug. de San: Victor. Lyran. Caietan. Perer. in illũ Geneſ. locũ. Bellar. tom. 1. cont. 1. lib. 2. cap. 17.

Sanctus verò Ioannes tibi quid fecit, vt eum quoque tuæ abſurditatis patronum tanto ſtudio aſciſcere velles? Iuſtificatus eſt præter legem Dei ordinariam adhuc in vtero exiſtens, ante & abſque circumciſione. Fateor. Sed quid tum? Ergo etiam nunc infantes abſq; baptiſmo? Inſulſe diſputator, quid cogitas? an Deum vis cogere tuis, vt commentis deſeruiat? vt quod vis faciat? vt quod

Digitized by Google

ſemel extraordinaria potentia fecit, ſemper faciat? Tu ipſe fateris, extraordinariam fuiſſe ſanctificationē Ioannis ante circumciſionem, cur ergo in exemplum ordinariæ benignitatis Dei trahis? cur extraordinarium & ſingulare eſſe non ſinis? aut ſi adeò libet inſanire, cur partem tantum, cur non totum S. Ioannis priuilegiū ad exemplū pro cæteris infantibus ſeruire cogis? vt ſic etiā dicas, Prædicantulos tuos paruulos iam in vtero matris Meſſiæ præſentiam agnoſcere, atq; adeò juſtificari? Igitur aut exemplū totū tuis illis infantibus accommoda, aut totum relinque. Aut tuæne libidini concedendum ſit, vt pro arbitrio Scripturarum exempla interpreteris, & quibus ac quantum vis accommodes? Apage ſis Hunni, nondum in Areopago Scripturæ judex conſediſti.

Et quid demum, ais de *regula Chriſti Ioannis 3. propoſita, admittente exceptionem in latrone, ſimiliter in Eunucho, Cornelio, Lydia, & innumeris alijs, quos ante baptiſmum Deo placuiſſe, ſaluificamq; fidem habuiſſe conſtat. Act. 8. 10. 16. & alibi.* Tace quæſo te Hunni, & noli ſic palam inſanire. Latro ſaluatus exceptionem facit ab illo præcepto baptiſmi? Pudeat te, Hunni, nihil ſcis, nihil proficis, etiam alias à me monitus, legem illam baptiſmi ante mortē Chriſti, ante velum templi ſciſſum, ante Moſaicæ legis ceſſationem, necdum obligaſſe, ne quaſi commiſſura noua in veſtimentum vetus, aut vinum nouum in vtres veteres immitteretur: quomodo ergò ab illa lege quæ nondum obligabat, in latrone factam eſſe exceptionem dicis? Sed de hac re infra. Et quid Cornelius, Lydia, & cæteri adulti, ſi vel mille numeres, te juuant, vt exceptionē ab illa vniuerſali lege fingas pro infantibus? Eſto ſanè admittat locus ille exceptionem quoad adultos, quos per fidei, pœnitentiæ, & charitatis actus etiam extra ſacramentum juſtificari poſſe Deus ipſemet in Euangelio toties declarauit, ſed quid hoc ad infantes, qui actus fidei, pœnitentiæ, charitatis, elicere non poſſunt? Oſtende, Hunni, in Euangelio infantes etiam credendo, ſperando, diligendo, pœnitentiam agendo ſanctificari poſſe, vt hoc de adultis oſtenditur & tunc feceris, quod tui muneris eſt, tunc aliud mediū ſalutis præter baptiſmum fluminis aut ſanguinis, pro infantibus à nobis impetrabis. Hactenus, iterum moneo, tace, ne toties inſipientiam tuam ipſe prodas.

Digitized by Google

VIII. Abſurdum Prædicantium.

Textus Præfationis.

NAM ſi latro in cruce per fidem & pœnitentiam fuit ſaluatus abſq; baptiſmo, cur non etiam ſine omni externo remedio ſaluentur infantes, quantumuis per actus fidei & pœnitentiæ &c. à peccatis juſtificari non poſſint? pag. 26. &c.

APOLOGIA.

NON poteſt negare Hunnius, hoc turpiſſimũ abſurdum eſſe: ſed ſuum eſſe negat. Nunquam enim enim ſibi veniſſe in mentem dicere, aut latronem etiam *per pœnitentiam* eſſe ſaluatum, aut infantes *per actualem fidem* ſaluari non poſſe: Quocirca etiam falſi crimen exclamat. Subit hic mentem memoria illius hiſtoriæ, Actor. 19. quam de S. Paulo in actis commemorat Lucas. Cum enim Epheſij ſuam Dianam, cuius honorem à S. Paulo læſum exiſtimabant, inſanis modis tumultuarentur, & in S. Paulum furore pleni tantum non impetum facerent, legimus eum ad animos adeò exulceratos placandos, in hunc modum verba feciſſe: *Viri Epheſij, quis enim eſt hominum, qui neſciat Epheſiorum ciuitatem cultricem eſſe magnæ Dianæ; Iouiſq; prolis? cum ergò his contradici non poſſit, oportet vos ſedatos eſſe, & nihil temerè agere.* Quæ verba ſi parum mutata ad Hunnium accommodauero, nihil à propoſito alienum fecero. Quis enim eſt hominum, ô Hunni, qui neſciat, te cum ſymmyſtis Prædicantibus, illius magnæ Deæ, Solius, inquam, Fidei, & quidem etiam infantibus communicatæ *actualis fidei*, prædicatorem eſſe? Cum ergo his contradici non poſſit, & vero hæc ipſa in catalogo veſtrarum abſurditatum condigno loco à nobis repoſita extent, oportet te ſedatum eſſe, & non ita temerè calumniari.

Meminiſſe debes, Hunni, quod ſuperius generatim monui, indicari tantum hic abſurditates veſtras, non ad verbum referri: Indicari verò non eas tantum, quæ pronunciatis, ſed etiam aliquando quæ conſequentijs veſtris inſunt. Quod ſic demum fieri poterat, ſi vis veſtrarum conſequentiarum juxta Catholicorum doctri-

doctrinam breuiter expoſita ob oculos poneretur, quod hoc loco fide optima ita præſtitum eſt, vt niſi calumniator factum improbare nemo poſſit. Cum enim hæc ſint Hunnij verba citata pag. 26. *Si latro in nouo teſtamento in cruce potuit ſaluari virtute meriti Chriſti ſine baptiſmo, ergo etiã fœmella in veteri Teſtamento ſine circumciſione,* atq; etiam (vt mox pagina ſequenti dicitur) *ſine externo ſacramento:* certe non potuit talis argumentatio, ſi eius vis juxta certiſſimam & exploratiſſimam doctrinam Catholicorum, quibus ea obijciebatur, aliter informari, quam in præfatione indicatum eſt, cum æquè vtrumq; apud Catholicos ſit certiſſimum, & latronem fide ſola non ſaluatum eſſe, & infantes fide actuali ſaluari non poſſe. Cum igitur Huñiani argumẽti vis in præfatione veriſſimè expreſſa ſit, quid inſanis, quid pro tua ſola fide tumultuaris, cum tamen illa ipſa verba in præfatione ſic poſita ſint, vt quiuis lector (quidquid tu diſſimules) non ſolum ex ipſo typo, vt initio generatim monui, intelligere debeat, ea verba vobis minimè tribui: Sed etiã ſimul illa non aliter accipere poſſit, quam vt declarationem & expoſitionem argumentationis tuæ juxta Catholicam doctrinam. Certè vides hinc, Hunni, quanta iniuria criminis falſi præfationem hoc loco ſuggillaueris. Sed quid ſi tibi, Hunni, iam oſtenderem, vtrumq; illud pronunciatum, quod iam tantopere refugis, tuum eſſe, atq; adeò abſurditatem illius conſequentiæ non tantũ juxta Catholicam veritatem, ſed etiam juxta tuammet doctrinam probè indicatam & expoſitam eſſe? Attende Hunni, quid dicas pag. 17. *Si latro,* ais, *in nouo teſtamento cum reſipiſcit* (vel vt veſter ille Gauglerus in ſua verſione germanica Protocolli interpretatus eſt. Nach wahrer bueß) *non opus habet eiuſmodi Sacramento, & externo baptiſmo, ſequitur quod neq; fœmella opus habuerint in veteri teſtamento eiuſmodi ſacramento.* Vides, Hunni, tuum eſſe illud pronunciatum, latronem per pœnitentiam, vel certè non ſine pœnitentia ſaluatum eſſe: Vtrumuis autem dicatur, par ſemper abſurditas eſt, latronis exemplum ad infantes trahere velle.

Prot Monach. pag. 26.

Protoc Monach. pag. 17.

Alterum vero pronunciatum, quod *infantes per actus fidei ET pœnitentia juſtificari non poſſint,* tam exploratè tuum eſt, vt niſi nouo portento cumulare velis tuam ſectam, quod ſcilicet infantes non

tantum credere, ſed etiam pœnitentiæ actum elicere poſſint; id planè fateri debeas. Habes ergo, mi Hunni, præfatorem tibi non adeo magnam facturum fuiſſe iniuriam, tametſi ſimpliciter dixiſſet, eam quoq; in terminis veſtrã argumentationẽ fuiſſe. Quanto iam iniquius de iniuria facta conquereris, quando hoc non dixit, ſed potius & typo, & ipſo contextu orationis ſignificauit, ſe tantum expoſuiſſe vim veſtræ argumentationis juxta exploratam Catholicorum doctrinam.

IIX. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus præfationis.

ET quod plus eſt, ſi in Ioanne Baptiſta, (quo non erat maior inter natos mulierum) *nondum circumciſo, necdum baptizato, Deus extraordinario priuilegio operatus eſt gratiam, cur non idem faciat in alijs? Pag. 30.*

APOLOGIA.

AGnoscit Prædicans ſuam hanc eſſe conſequentiam, at ſimul à nota abſurditatis vindicare ſtudet, adhibitis quibuſdam falſis pigmentis; ſed quæ veteratori iam circa ſextum Abſurdum adempta ſunt.

IX. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus præfationis.

QVOD Ioannes 5. dicatur, Eſt qui judicabit vos Moyſes. *Pag. 27.*

APOLOGIA.

Ioan. 5. EST hæc quoq; turpiſſima deprauatio Scripturæ, & deteſtabile falſi crimen in ipſum Scripturæ authorẽ ſpiritum ſanctum, cui ea verba affinxit Iacobus Hailbronnerus, quæ nunquam cogitauit, cum Ioannis 5. ſolum

Digitized by Google

ſolum dicatur; *Eſt qui accuſat vos Moyſes,* ſeu græcam, ſeu latinam, ſeu germanicam etiam ipſius Lutheri verſionem conſulas. Quid vero Hunnius, vt hoc probrũ adeò manifeſtũ ſui collegæ obliteret? Ait, ſe demonſtraſſe in ſuo Apologetico pag. 167. *judicare* & *accuſare* hìc coincidere. Sed enim è contrario aio, hoc tum demũ demonſtraturum eſſe Hunniũ, quando niuem atram eſſe demonſtrauerit. Interim *accuſare* & *judicare* nõ modo per ſe longè diuerſiſſima eſſe, vel pueri norunt, qui judicẽ ſuum agnoſcunt præceptorẽ, accuſatores autem ſæpe quoslibet ex coæuis patiuntur: Sed etiam hoc loco planè heterogenea eſſe, dudum oſtendit noſter Iacobus Gretſerus contra Hunnium, cui ſi quando reſponderit, aliud reſponſum exſpectabit. Et certè cum ſaltem inter vtramq; partẽ dubium ſit, an termini iſti in propoſito coincidant, non debuit aduerſarius in aduerſæ partis præjudicium, in ipſo Scripturæ textu citando, vnam vocem pro alia ſupponere. Imo ſi maximè, vt Hunnius dicit, hoc loco coinciderent, adeoque termini eſſent inter ſe conuertibiles, attamen cum ſaltem ſynonymos eſſe dicere non poſſit Hunnius, niſi ſoli lucem, & omnibus lexicographis fidem neget, non potuit Hailbronnerus abſq; ſcelere, ſuo compendio, voces inter ſe commutare, & ad probandum, Scripturam eſſe judicem, vocem, *judicare,* pro *accuſare,* Scripturæ textui affingere, vt ſuperius etiã de Luthero Apoſtolici ſymboli corruptore diximus. **Iacob Gretſ. Egreſſ. 5. cont. Hunn**

X. Absurdum Prædicantium.

Textus præfationis.

QVOD *Deus apud Iſaiam 8.* Pro viuis à mortuis? *remittat homines non ad Sacerdotes viuos, ſed ad* Deum viuum, *vt ait Prædicans, plures vt apparet viuos colens Deos. Pag. 32.*

APOLOGIA.

AGNOSCIT hic quoque Hunnius ſuum axioma, ſed fucum illinit, eſſe videlicet in eo Scripturæ loco, *enallagen numeri, & phraſi hebraica,* ad myſterium Trinitatis indicandum, ſolere pluraliter dici de

Digitized by Google

Dᴇo vocabula, tum ipſam naturá, tum proprietates ſignificantia. Sed nullo tropo, nullo hebraiſmo à notata abſurditate ſe defendet Hunnius. Scimus enim quidem enallagen numeri Scripturis inuſitatam non eſſe. Scimus quoq; phraſi hebraica nomen illud Dei *Elohim* plurale eſſe, & pluraliter de Deo enunciari, eiq; ſi quando nomen attributi diuini additur, ratione Syntaxeos, pluraliter addi, vt fit in illo loco, quem Hunnius citat Deuteronomij 5. vbi habetur, *Elohim Hhaijm* (*Dij viuentes.*) Sed hoc tu mihi nunquam demonſtrabis, Hunni, nomen *Hhaijm* (*viuentes*) abſolutè in Scriptura poſitum, vt in illo Iſaiæ loco ponitur, Deum ſignificare, aut vnquam pluraliter de Deo efferri, niſi quando conſtruitur cum aliquo nomine Dei, quod juxta idiotiſmum hebraicum, pluraliter Deo tribuitur. Certè Numerorum 14. bis legimus Deum dicere: *Viuo ego*, ſeu: *viuus ego*: & ſemper ſingulariter ponitur *Hhaij*, non *Hhaijm*. Idem patet Deuteronomij 32. Idem Ioſuæ 3. vbi legimus: *El Hhaij*, *viuens Deus*. Idem Iudic. 8. & Ruth 3. vbi habetur, *Hhaij Jehoua*, *Viuit Dominus*. Et vt infinita ſimilia prætermittam, non aliter locutus eſt Propheta Dauid Pſal. 41. & 84. Vbi itidem dicitur, El Hhaij.

Deut. 5.

Numer. 14. &c.

Sed illud quoq; Hunnij impudentiam, aut imperitiam hac in re manifeſtè arguit, quod vocem illam hebraicam, *Hhaijm*, quæ habetur in citato loco Iſaiæ, cæteri quoq; interpretes, non ſingulariter, vt alioqui facere ſolent, cum Deo tribuitur, ſed vt in hebræo eſt, pluraliter verterunt: Ita enim in Chaldaica Paraphraſi legimus, quæ habet: *Viui, à mortuis?* Vbi vocula *viui* eo loco non poteſt vllo modo referri ad Deum. Ita in græca LXX. interpretũ τῶν ζώντων: ſic in omni latina: *Viuis*: Imò Lutherus ipſe in ſuis Biblijs vertit. für die lebendigen: adeò vt ſi maximè vox hebræa interpretationem Hunnianam per ſe admitteret (quod tamen falſum eſt) nulla tamen omnino alia, nec Chaldaica, nec græca, nec latina, nec germanica Lutheri verſio eam admittere poſſet. Taceo, quod nullum comentatorem dare poterit Hunnius, qui vocẽ illam *pro viuis* apud Iſaiam, de *Deo viuo* determinatè interpretatus ſit. Vides ergò, Hunni, quàm miſerè tuam fœditatem texeris, quã nihil te iuuent ea, quæ in Apologetico, ad quem nunc Lectorem remittis, enarraſti.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VII.

DE SECVNDA DECADE *abſurditatum Prædicantium, in præfatione notatarum.*

XI. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD Moyſes non fuerit Sacerdos, niſi generali illa ratione, quâ (vt aiunt) omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes, atq; adeò non magis, quam Cereuiſiarius aliquis in Saxonia, quicquid dicatur Pſal. 98, Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius. pag. 39.

APOLOGIA.

STOMACHVM hîc Hunnio primum mouet cereuiſiarius Saxonicus: *Qui enim paginam illam*, inquit, *in ipſo Protocollo non legit, ipſe putabit, illud de cereuiſiario Saxonico prolatum a nobis eſſe in Colloquio.* Sed bono animo eſto Hunni; hoc enim nemo putabit, niſi cui forte cereuiſiarius Saxonicus os & ſtomachum probè inunxerit, & nictantes reddiderit oculos. Nam paginæ Protocolli, quod ſemper meminiſſe debes, ideo annotatæ ſunt, vt ſi quid circa ſenſum breuium eiuſmodi ſententiarum addubitaret Lector, in Protocollo requireret, vt taceam, quod verba veſtra à verbis præfationis typo diſtincta ſint, vt ſupra monui.

Addit, à crimine falſi *nequaquam excuſari poſſe*, quòd in præfatione ſibi tribuatur, quaſi dixerit: *Moyſen non fuiſſe Sacerdotem, niſi generali illa ratione.* Sed legat quæſo Lector Protocollum, citata pag. 39. & ſi inuenerit, ab Hunnio excellentioris cuiuſpiam Sacerdotij dignitatem Moyſi tributam fuiſſe, tunc liberè me ſceleris arguat. Si verò deprehenderit, eam ipſam fuiſſe Hunnij ſententiam, tunc quid de Hunnio ſtatuere velit, ipſe viderit. Recitemus

Digitized by Google

ergo Protocolli verba. Aſſeruerat D. Gretſerus, etiã Moyſen propriè, non minus quam Aaronem, fuiſſe Sacerdoté, idq; probauerat ex illo Pſal. 98. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius:* cum reſpondit Hunnius his verbis: *Sacerdotium ibi generaliter ſumitur, ſicut nos omnes Chriſtiani ſumus ſacerdotes Apocal. 1.* Audiunt hic omnes, Hunnium non alia ratione dixiſſe, Moyſen fuiſſe ſacerdotem, quam generali illa, qua, vt ait, *nos omnes Chriſtiani*, atq; adeò etiam *cereuiſiarij Saxonici* ſunt Sacerdotes. Et licet hæc de Sacerdotio Moyſis quæſtio non minus quam per horæ ſpacium vtrinq; fuerit agitata, nunquam tamen vllo verbo ſignificauit Hunnius, Moyſi alia quadam ratione Sacerdotij dignitatem conuenire. Sed queritur iam, ſibi *turbulentis interpellationibus* Ieſuitarum fuiſſe *ſermonem interruptum*, ne quid amplius circa Moſaici Sacerdotij rationem dicere poſſet. Sed ſplendide mentitur Prædicans, quem cum Protocollum ipſum teſtetur, circa hanc quæſtionem de Sacerdotio Moyſis deciesquater minimum in 2. Seſſione fuiſſe locutum, nullum tamen ſignum exhibet interruptionis alicuius à noſtris factæ. Et per ſe incredibile eſt, Prædicantem cætera omnia locutum, nõ potuiſſe explicare id, de quo maximè agebatur, nimirum qua ratione Moyſes fuerit Sacerdos.

Prot. Monach. pag. 39.

Sed quænam etiam tandem illa ratio eſt Sacerdotij, pro qua adeò fidenter pugnat, & quam vel poſt colloquium excogitatam Moyſi tribui Pſalmo illo 98. aſſerit? Remittit nos ſcilicet ad ſui Apologetici pag. 239. Vbi ſic ait, *In loco Pſal. 99.* (ſeu juxta latinos 98.) *Sacerdotis vox, ſenſu generaliore, praeminentiores Eccleſiæ Doctores ſignificat, Moyſen, Aaronẽ, & Samuelẽ, & competit eis titulus iſte quadã honorum atq; graduum differentia, Moſi quidem tanquã eminentiſſimo Propheta, Aaroni verò tanquã ſummo Pontifici, Samueli deniq; tanquã ſui temporis Doctori, &* Propheta, *& judici præcellenti.* Quid hoc audio Hunni? itané deſipis? Itané tibi cõſtas? Dixeras in Colloquio, Sacerdotium ibi *generatim* ſumi, ſicut vos omnes Chriſtiani eſtis Sacerdotes, Iam nouam Sacerdotij notionem confingis, aiſq; Sacerdotium ibidem ſtrictius ſumi, prout *eminentiores Eccleſiæ Doctores* ſignificat. Itané ergo Hunni Cereuiſiarios Saxonicos à Sacerdotio excludis, quos antea ad eam dignitatem admiſeras? Quid in te

Pſal. 98.

com-

Digitized by Google

commiſerunt, vt iam primum eos tanta dignitate exuere velles? an forte cereuiſiam acidam præbuerunt? an potius nimis efficacē, vt iam velut ebrius delires? tibiq; ipſi contradicas? nec ſcias quid dicas? cum nouam illam & hactenus etiam inter tuos inauditā Sacerdotij rationem ex illo Pſalmi loco vis exſculpere? in quo tam apertè refutatur? legiſtinè prius illum Pſalmi locum, quam hæc ſcriberes? aut conniuentibus oculis legiſti? Sacerdotes, ais, ibi ſignificare *Doctores* quoſdam præeminentiores. Si hoc ita eſt, Cur Moyſes tantum & Aaron vocantur Sacerdotes? Cur Samuel tantū inter *inuocantes nomen Domini*, nō inter Sacerdotes numeratur?

Lege Pſalmum illum, inſpice locum, hebraice, græcè, latinè, ſemper eadem ſententia eſt, quam noſtra latina vulgata editio his verbis expreſſit: *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.* Et tu, homo impudens, audes aſſerere, Samuelem ibi quoq; vocari Sacerdotem? & ex hoc figmento alterum illud figmentum tuum nouæ illius, & eo loco nuſquam cogitatæ notionis, Sacerdotij, confingere? mendacium ex mendacio? contra teipſum? contra literam expreſſam Scripturæ? hocnè eſt, Hunni, præfationem criminis falſi arguere? an multiplex crimen falſi committere?

Verum confirmat Hunnius, *Sacerdotis* nomen quandoq; in ſcriptura accipi pro eximijs quibuſdam Doctoribus, quia Paralipomenon 8, filij Dauid Sacerdotes vocantur, *non certè*, ait, *quod ſacrificauerint, ſed quod docendi munus ſuſtinuerint*. Itanè verò Hunni, adeò eximij Doctores fuiſſe tibi videntur filij Dauidis, Abſalon, Ammon? an fortè quia ille crimen parricidij, & perduellionis, hic inceſtus crimen te docuit? Tace quæſo te, Hunni, aut tibi minus ſaltem probroſa loquere. Cur enim non potius in citato loco Sacerdotes vocantur, quia magnates erant, & Principes. Hanc enim interpretationem admittit hebraica vox *Cohanim*: Eandem ſequitur Chaldaicus Paraphraſtes, eandem expreſſit græca LXX. interpretum, quæ habet eo loco αὐλάρχαι, hoc eſt, *aulæ principes*. Iam ergò tu numera Hunni, quot falſicrimina commiſeris, dum præfationi vnum impegiſti. Falſum eſt, te in Colloquio Moyſi alia ratione Sacerdotij dignitatē tranſcripſiſſe, quam ea, quæ tua quidem Paralip. 8.]

dem

dem ſententia conuenit cuiuis ex Saxonia cereuiſiario: Falſum eſt, te, quo minus excellentiorem Sacerdotij rationem Aaroni tribueres, noſtrorum interpellationibus fuiſſe impeditum: Calumnioſiſſimum falſum eſt, vllum falſi crimen hoc loco in præfatione commiſſum; turpiſſimè falſum eſt, in citato Pſalmo vocabulum, *Sacerdotis*, ſignificare eximios quoſdam Doctores populi: Craſſiſſimè falſum eſt, Samuelem in citato loco Pſalmi Sacerdotẽ vocari: demum ineptiſſimè falſum eſt, in citato loco libri Paralip. filios Dauidis vocari Sacerdotes, quia ſuſtinuerint officiũ docendi populum. Totus ergo cum ex falſitatibus & falſi criminibus compactus ſis Hunni, quomodo criminis falſi quemquam argues?

XII. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus Præfationis.

QVOD *Exodi 32. non populus, ſed Aaron,* licet à populo inſtigatus & incitatus, *author fuerit Idololatriæ, ipſe fecerit, aut procurârit omnia, ſimul, vt apparet, Prædicantibus, & ſummus Sacerdos, & cæmentarius, & aurifaber, & Præco. Pag. 43. &c.*

APOLOGIA.

HOC etiam falſi crimen appellat criminator. Aſſertum enim eſſe quidem, Aaronem fuiſſe authorem; nunquam tamen vel à ſe, vel à ſuo Collega fuiſſe negatum, quin etiam populus fuerit author: *vtrumq; enim ſuo modo authorem fuiſſe, hunc quidem incitando, & inſtigando, illum verò ſua authoritate totum opus dirigendo.* Miror ſanè, ſi hoc non eſt contra veritatis ſtimulum recalcitrare, aduerſaq; fronte veritati obniti. Annon negaſtis, Hunni, populum eius ſceleris fuiſſe authorem? Attende ergo & cognoſce tui Collegæ verba citata pag. 43. Sic enim ait Hailbronnerus: *Domini conati ſunt Aaronem excuſare, quod non ſponte errarit, ſed coactus. Cum autẽ ex textu ſint conuicti (monſtratum enim eſt ex textu, Aaronem fuiſſe authorem & ſuaſorem Idololatriæ, ad quod nihil eſt reſponſum) alia quæſita eſt latebra.* Annon hic negat Hailbronnerus, Aaronem à

Prot. Monach. pag. 43.

popu-

Digitized by Google

populo fuiſſe pertractum ad errorem ? Annon dicit Aaronem ſponte erraſſe? Si ergo populus Aaronem ad permittendum ſcelus non coëgit ? Si Aaron ſponte nulla vi coactus errauit, quo modo populus author eſſe potuit Idololatriæ ? Deinde quid in hoc genere clarius dici poteſt? quam quod pag. 38. idem Hailbronnerus impudentiſſimè effutiuit : *Nam à gente Iſraëlitica*, inquit, *Aaron tanquam ſummus Sacerdos à Deo conſtitutus* ROGATVS *erat, vt in diuturna illa Moyſis abſentia* CVLTVM ALIQVEM *conſtitueret, quo diutius carere non poſſet.* IBI *Aaron author & ſuaſor fuit illius Idololatriæ* &c. Certè ſi populus aliud nõ fecit, quàm quod Aaronem acceſſit, poſtulans in genere ab illo *cultum aliquem* conſtitui, iſq; hoc facto *author & ſuaſor* fuit Idololatriæ, vt dicit Prædicans, qua obſecro ratione populus author Idololatriæ dici poſſit, quam & Aaron primus excogitauit, *ſuaſit*, & vt ait Hunnius, ſua quoque authoritate *direxit & perfecit* ? an frons tibi eſt vt erubeſcas, Huñi? Quid quod idipſum Rungius quoque, etſi ſimul ſibi turpiter cõtradicens, (vt alibi notauimus) non obſcurè aſſeruit. Hæc enim ſunt eius verba: *Populus incitauit, inſtigauit*, *SED Aaron fuit author*. Quid tibi videtur, Hunni, dę illa particula aduerſatiua, *Sed* ? annon inter duo orationis membra conſtituta, vim habet negandi de priore, quod de poſteriore aſſeritur? Certè ſi dicam: Hunnius in Colloquio præcipuè locutus eſt. Sed Hailbronnerus fuit deſignatus Collocutor, ineptè profectò loquar ; quaſi videlicet Hunnius non fuerit Collocutor. Sed ſi dicam : Hunnius in Colloquio præcipue locutus eſt, ſed Hailbronnerus priore loco ſedit, iã rectè locutus cenſear, quia verè negauero de Hunnio, quod de Hailbronnero affirmo. Vides ergò, Hunni, quot modis de calumnia conuictus tenearis ? Taceo interim, quòd cum hæc quæſtio per duas Seſſiones fuiſſet agitata, ſemperq; à nobis dictum, populum, non Aaronem fuiſſe eius ſceleris authorem, nec ſponte quicquam ad idololatriam pertinens feciſſe, ſed coactum à populo &c. Aduerſarij ſemper obnitebantur, neq; vllo verbo ſignificabant, ſe admittere, populum etiam fuiſſe autorem : niſi quod tandem in fine Rungius, idipſum ſemel & ſimul aſſerebat & negabat. Sed ita nimirum opus erat calumnia tegere adeo pudendum

Proto. Monac. pag. 38.

Exam. Hunn. Relat. cap. 22.

Prot. Monach. pag. 44.

Digitized by Google

Exam. Hunn. Relat. cap. 11. pronunciatum, cuius turpitudinem luculentius alibi detexi, ſimulq; notaui turpe mendacium Hunnij, quo iam quoque aſſerit, ita me locutum fuiſſe, tanquam ſi Aaron *omnia*, quæ feciſſe legitur ſolummodo permiſerit. Melius quæſo inſpice mea verba pag. 44. quã citas: Inuenies me dixiſſe, ID (hoc eſt ſcelus Idodolatricum) de quo antea fueram locutus, *ſolummodo* permiſiſſe.

XIII. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus præfationis.

Q*VOD Aaron Exod. 32. iam tunc fuerit conſtitutus & conſecratus* ſummus Sacerdos, *contra apertum textum Leuit. 8. Pag. 34. 38.*

APOLOGIA.

ET hoc quoq; negat Hunnius, à ſe vel ſuo Collega dictum. *Conſtitutum*, quidem fuiſſe Sacerdotem, ſe aſſeruiſſe, nõ autem iam tunc fuiſſe *conſecratum*. Quid ergò? annon hæc ſunt verba Iacobi Hailbronneri pag. 38. *Nam erat Aaron conſtitutus & ordinatus ſingulari authoritate, & mandato ſummus Pontifex.* Exod. 24. & 28. Annon *ordinari*, & *conſecrari* Pontificem ſunt non tantum termini conuertibiles, ſed planè Synonymi, identici, ac prorſus idem ſignificantes? Nam *ordinari* Pontificem, eſt *conſecrari* Pontificem, & è conuerſo; imò Pontifex ordinando cõſecratur, & conſecrando ordinatur, & *ordinatio* ipſa aliud nihil eſt, quam *conſecratio*. Idq; adeò verum eſt, vt etiam germanica voce, non ſolum Catholico more, Sacerdotis *ordinationem* dicamus *conſecrationem*, Prieſterweihe: Sed ipſe quoq; Ioannes Gauglerus, germanicus, ſed parum alioqui germanus interpres Neoburgenſis Protocolli, non aliter eam vocem interpretatus ſit, etiam in ipſius Hunnij verbis. Quod enim Seſſ. 3. dixit Hunnius: *Aliud eſt loqui de creatione Imperatoris, alind de officio Sacerdotis legitimè ordinati*: Sic germanicè

Prot. Gaugl. pag. 114. vertit Gauglerus: Es iſt ein ander ding/ wann man von der Kayſerlichen wahl redet / vnd ein anders / wañ man von eines ordenlich geſalbten Prieſters Ambt redet: Vbi Sacerdotem legitimè ordinatum,

dinatum vocat, ein ordenlich geſalbten Prieſter. Quanquam hic ipſe Gauglerus, vt varia eſt hæreticorum fides, locum illum ſupradictum Hailbonneri, contra omnem latinæ linguæ conſuetudinem, peſſimè in ſua verſione corrupit, his verbis interpretando: Er war zu diſem Ambt beſtellet vnd verordnet; fortè quia Hailbronuero, qui interpreti præſens erat, nõ tam erat cura, vt Hunnium, quam vt ſeipſum à tam ignominioſa labe vindicaret. Quid, quod ipſemet Hunnius in apologetico ſuo pag. 240. & 241. *Conſecrationem* Aaronis à Moyſe factam bis vocat *ordinationem?* vt planè manifeſtum ſit, calumniam Hunnij, qua hoc loco falſi crimen præfationi impingit, ex ipſa vocum notione, ex vſu receptiſſimo loquendi, & demum teſtimonio ipſius Hunnij, eiuſque interpretis Gaugleri luculenter refutatam eſſe. Neq; tamen interim omnino prætereunda ſunt abſurda illa, quæ in ſuo apologetico primum in lucem data, hic quoq; repetit Hunnius, vt quod ſola vocatio Dei, ſine aliqua acceptatione, aut mutatione facta ex parte vocati, qualis erat illa Exod. 24. & 28. qua Deus Moyſi præceperat, Aaronem ſacerdotem ordinare, faciat & conſtituat Sacerdotem. Sic ſanè illi, quos ad conuiuium vocabat paterfamilias iam facti fuerint conuiuæ, tametſi venire recuſarent; Sic etiam gentes, quæ à Deo vocantur ad fidem Chriſti, iam ſint conſtituti Chriſtiani, non ſolum priuſquam reſpondeant vocationi Dei, ſed etiam prius quam vocationem & prædicationem audiant. Et licet in epiſtola ad Hebræos cap. 5. Pontificatus Chriſti & Aaronis ad Dei vocationem ſuo modo referatur, falſiſſimũ tamen eſt, ad eam ſic referri, quaſi Chriſtus & Aaron, per ſolam eiuſmodi vocationem, nondum vt ita loquar in Chriſto vel Aarone, facta aliqua mutatione, receptã, conſtitutus ſit Pontifex. Aaronem certè per conſecrationem conſtitutum fuiſſe Sacerdotem, apertè Scriptura indicat Exod. 28. *Applica quoq; ad te Aaron fratrem tuum cum filijs ſuis de medio filiorum Iſrael, vt Sacerdotio fungantur mihi.* Et cap. 29. *Hoc facies, vt mihi in Sacerdotio cõſecrentur &c. eruntq; Sacerdotes mihi religione perpetua,* facta nimirum conſecratione. Exod. 40. *Applicabisq; Aaron & filios eius ad fores tabernaculi teſtimõij, & lotos aqua indues ſanctis veſtibus, vt miniſtrent mihi, & vnctio eorũ*

in ſacerdotium ſempiternum proficiat. Quid poterat clarius hac de re dici? Vnde patet, falſum eſſe etiam alterum Hunnij pronunciatũ, quod conſecratio Aaronem *non faciebat Sacerdotem*, ſed iam factum declarabat. Sed quid Hunnius de Sacerdotij ordinatione intelligeret, non magis legitimè ordinatus, quàm legitimè vnctus Sacerdos, ſiue vt cum Gauglero loquar. Ein ordenlich geſalbter Prieſter.

XIIII. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus Præfationis.

Q*VOD Moyſis cathedra non ſit temporalis, ſed æterna. Pag. 54.*

Apologia.

NEGARE hoc ſuum dictum non poteſt Hunnius, quod ad verbum habetur in Protocollo loco citato cum æterna Prædicantis ignominia, ſed quid fuci affricat? Mittit ſcilicet lectorem ad ſuum Apologeticum, in quo id velut optimè dictum defendit; quia ſcilicet cathedra Moyſis ſecundum quid, hoc eſt, ſecundum doctrinam eſt æterna: quin etiam Antonio VVelſero, viro nobili, ac in omni doctrinæ genere apprimè verſato, contrarium pronunciatum plane Catholicum, tanquam abſurdũ exprobrat, cum is exploſo Hunnij Iudaiſmo, diceret: *Nihil ad nos cathedra Moyſis.* Prot. Monach. pag. 54. *Non enim ſumus Iudæi, ſed Chriſtiani.* Mauult nimirum Hunnius quatuor alia cumulare abſurda, quam vnicum confiteri. Abſurdũ enim eſt primo in ſeria diſputatione, contra receptiſſimum vſum loquendi, ſimpliciter & quidem magna contentione affirmare, & defendere quippiam, quod vix ac ne vix quidem, ſi propriè loquẽdum ſit, vel ſecundum quid verum eſſe poteſt. Damnatus enim error eſt dicere, doctrinam Moyſis ad Chriſtianos pertinere; quaſi eos ſimpliciter etiamnum obliget. Vnde etiam Lutherus aſſeruit in præfatione vet. teſtam. Moyſis *officium & doctrinam non diutius duraturam quam ad Chriſti aduentum.* Quodſi Hunnius per cathedram

dram Moyſis, doctrinam Moyſis intelligit deſtitutam vi obligandi, tunc iam alterum abſurdum longè turpius committit: non ſolum quod Chriſtus Matth. 23. vbi de Moyſis cathedra loquitur, talem doctrinam nequaquam intellexerit, vt manifeſtum eſt; ſed etiam quia ipſum nomen Moſaicæ cathedræ connotat authoritatem aliquam ſiue docendi, ſiue judicandi à Moyſe profectam. III. falſiſſimum abſurdum eſt, quod Hunnius in Colloquio aſſerens, *cathedram Moyſis eſſe æternam*, per eam intelligere potuerit ipſam ſecundum ſe doctrinam Moyſis, ſi vel maximè alioquin nomen hoc ſic accipi poſſet. Erat enim tunc quæſtio nõ de doctrina Moyſis, ſed de poteſtate judiciaria in Moſaicæ cathedræ Pontificibus reſidente, vt ex Protocolli citata pagina manifeſtiſſimum eſt. IV. Impudentiſſimum abſurdum eſt, dictum illud Catholicorum, *Moyſis cathedram nihil ad nos:* in abſurdis ponere, quod tamen non modo re ipſa & in verbrorũ quoque rigore etiam ſecundum Lutheri doctrinam, veriſſimum, ſed etiam vſu loquendi non tam noſtrorum, quam aduerſariorũ tritiſſimum eſt. Videat quæſo Lector ea, quæ ex Luthero adduximus in examine Hunnianæ Relationis cap. 32. & adamantinam Hunnij frontem, nunquam erubeſcere conſuetam obſtupeſca. Addo hic tantum ipſius Hunnij teſtimonium, ſi fortè à ſeipſo refutatus, erubeſcat. Is enim in ſuo examine, quod in controuerſia de verbo Dei contra Bellarminum ineptè luſit lib. 3. cap. 4. pag. 468. explicans quid ſit cathedra Moyſis, ſic ait: *Non negamus ſub Moſe conſtitutum tribunal à quo cauſarũ omniũ Religionis legitima peteretur deciſio.* ID TRIBVNAL SALVATOR CATHEDRAM Moſis NOMINAT. Matth. 23. Pagina verò ſequenti quouſque hæc cathedra durauerit, ſic explicat. *Hanc* (cathedrã Moſis) *aduſq; Chriſti tempora duraſſe, & in ea ſucceſſiſſe, qui tenerent illam, teſtis & author eſt Chriſtus ipſe loco ante citato.* An validius quiſquam confutari poteſt, quam hic Hunnius ſeipſum confutauit? Et adhuc tamen viro doctiſſimo, à quo et latinè & græcè loqui diſcere queat Hunnius, audet græcum illud accinere, κῶφον πρόσωπον? κῶφον inquam? tantus, vt alioqui videri vult, græcus? neſciens ſcribere κωφὸν? ſed ex vocabulo oxytono faciens προπερισπώμενον? vt velut è

Hunn. de verbo Dei.

conuerſo aliâs ex paroxytono ϛύλ@, oxytonum ϛυλός? Quantò honeſtius, mi Hunni, κωφὸν πρόσωπον egiſſes, quam ita turpiter in Iudaiſmum primò, iam in grammaticam impegiſſes.

XV. Absurdum Prædicantium.

Textus præfationis.

QVOD contra inductionem, etiam vltro conceſſam proferenda ſit inſtantia. Pag. 61. &c.

APOLOGIA.

REPETIT hîc breuiter Hunnius inſigne illud ſuum mendacium, videlicet minorem inductione probatam, fuiſſe negatam à Doctore Hungero & D. Gretſero: quod ſuperius capite quarto, ita luculenter à me refutatum eſt, patefacta inſigni Prædicantis vel inſcitia, vel malitia, vt ſi frons ei eſſet carnea, vel ſanguine ſudaret. Vbi etiam calumniam illam Hunnij refutauimus, quam hîc repetit, non potuiſſe ſcilicet à Catholicis negari maiorem eius argumenti, niſi per execrabile crimen falſi truncatam. Illud hoc loco ſuffecerit notaſſe, quod ad vertiginem Hunnij agnoſcendã facit, quod cum loco citato dixerit, non potuiſſe maiorẽ illam à noſtris *concedi* niſi truncatam, iam ait, non potuiſſe niſi truncatam *negari*.

XVI. Absurdum Prædicantium.

Textus præfationis.

*QVOD Prædicantes operosè probarunt * maiorem per ſe claram, & de * minoris falſiſſimæ probatione nihil cogitarunt. Pag. 67.*

* minorem
* maioris

APOLOGIA.

RESPONDET Hunnius his verbis: *In ſcripto Apologetico pag. 289. & ſequentibus, oſtendimus, quomodo maiorem tertij Syllogiſmi noſtri, non niſi, ad ſuum libitum*

tum

Digitized by Google

tam mutatam conceſſerint. Quamdiu verò manet inuariata, inuicta prorſus eſt, quod ibidem oculariter oſtenſum eſt. Sed mirum eſt, Hunnium priuſquam obiectum abſurdum expurgaret, ante omnia non notaſſe errorem, qui circa tranſpoſitionem vocũ illarum (*maioris*, & *minoris*) librarij incuria in præfatione irrepſit. Eſt enim, vt ex allegata pagina Protocolli patet, ſermo de lamentabili illa propoſitione *maiore*, in cuius probatione Aduerſarijs aqua adeo manifeſtè hæſit: cum interim operosè probarent minorem. Quamobrem ſic legi debet abſurdum illud (vt etiam habetur in meo examine cap. 16.) Quòd Prædicantes operosè probarunt *minorem* per ſe claram, & de *maioris* falſiſſimæ probatione nihil cogitarunt. Iam vero Hunnius adeò errorẽ hunc non notauit, vt eũ etiã ipſe imitatus, pro (*minorem*) perpetuò ſcripſerit *maiorẽ*, vt ex eo ipſo loco Apologetici patet, ad quẽ ſe refert. Ergo incogitãtiæ, vt ita dicã, ſiue librariorũ vtriq; cõmunis error, vtriq; cõdonetur.

Ad rem quod attinet, adeò non probauit in ſuo Apologetico, ſeu maiorem, ſeu minorem illam à nobis mutatam eſſe, et ſi immutata maneat, negari non poſſe, vt potius in eo probando Hunnius manifeſtum Sycophantam egerit. Vtrumq; enim ſplendidum & calumnioſum mendacium eſt, aut in Colloquio, aut in Relatione mea, ſeu maiorem, ſeu minorem illam de quibus hîc agitur, vllo modo immutatam fuiſſe. Et quod attinet ad Colloquium, ipſemet Prædicans non negat: & ſi maximè negaret, redargueretur, ex Protocollo citata pag. 67. Quod ad Relationem meam attinet, id vſque adeò certum eſt, vt ſi eam Lector, in prima parte cap. 7. vel limis oculis dignetur aſpicere, manifeſtè deprehenſurus ſit, vtramq; propoſitionẽ, atq; adeò totum argumentum à me, prout & in Protocollo vtroq; habetur, & ab ipſomet Hunnio in Apologetico refertur, ad verbũ eſſe propoſitũ nulla littera im̃utata, hoc modo: *Qui reprehendit & punit eos omnes, qui à ſcripto Dei verbo quacunq; intentione recedunt, & vel ad dextrã, vel ad ſiniſtram deflectunt, is hoc ipſo facto perſpicuè teſtatur, Scriptum verbum debere eſſe vnicam normam, ad quam cultus omnis conformari debeat: Deus in veteri teſtamento reprehendit, & punit eos omnes, qui à ſcripto ſuo verbo quacunq; intentione receſſerunt, & vel ad dex-*

tram

tram vel ad ſiniſtram deflexerunt: Ergo hoc facto toties iterato perſpicuè teſtatus eſt, Scriptum verbum eſſe debere vnicam normam Religionis & cultuum. Annon hoc erat in terminis argumentum veſtrũ? annon hoc idem ſic ad verbum ſtatim initio citati capitis retuli? nonné dixi *in hoc*, in hoc, inquam, *argumento*, ſic prorſus ad verbũ relato, minorem eſſe conceſſam, maiorem negatam? Et tu, Hunni, omnibus his diſſimulatis, & ſolum relata ſumã earum propoſitionum, quam poſtea per modum Anacephaleoſis, ad explicandum Prædicantium dedecus ex illo argumento reportatum, lectori ob oculos poſueram; audes dicere, à me propoſitionem illam fuiſſe *mutatam*, nec à nobis negari potuiſſe *niſi mutatam*, & ſi *immutata maneat*, manere inuictam; tanquam ſi mendacijs tuis aut Lectori oculos poſſis effodere, ne mea Scripta legat; aut mihi manum amputare, ne tua quæ legit mendacia, ſtylo confodiam? Cæterum quam inuicta maneat illa propoſitio minor, ſiue (vt eſt) immutata ſumatur, ſiue fuco Hunniano deformetur, prout in ſuo Apologetico facit, & fecerat antea in ſuis notationibus ad Epiſtolam anonymam alicuius Catholici, intelligere poterit Hunnius ex cap. 16. Exam. ſuæ Relationis,

Relat. de Colloq. part. 1. cap. 7.

Exam. Hunn. Relat. cap. 16.

XVII. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD *niſi Scriptura ſit vnica norma, pœnæ diuinitùs inflictæ tranſgreſſoribus legis ſcriptæ* ſint fruſtraneæ. *Pag. 67.*

APOLOGIA.

NEGAT Hunnius, dictum eſſe, ſequuturum, vt pœnæ diuinitus inflictæ tranſgreſſoribus legit ſint *fruſtranea*, niſi Scriptura ſit vnica norma; ſed niſi concedatur maior propoſitio. At præterquam, quod res eodem redeat, & vnum ex alio ſequatur, attendat Lector hæc verba Hailbonneri citata pagina: *Alias enim reprehenſiones illæ, ac pœnæ diuinæ fruſtraneæ (non enim dicere licet iniuſtæ) fuiſſent, niſi Deus demonſtrare voluiſſet, quod non niſi ſecundum expreſſum illius*

illius mandatum religionis cultus inſtituendus ſit &c. Quid verò aliud eſt, non niſi ſecundum expreſſum Dei mandatum religionis cultũ inſtituendum eſſe, quam Scripturam eſſe vnicam normam cultus. Et certè maior illa probanda cum generalis eſſet, *Qui reprehendit & punit* &c. Non potuit aptè (ſaltem immediatè) ex illo argumento inferri. Quod ſi tamen hîc vis acutus, & non mentitus videri, Hunni, tunc oſtende illam maiorem ab Hailbronnero fuiſſe aſſumptam. Alias enim nihil ages, ſicut nec in tuo Apologetico, quò Lectorem remittis, quicquam niſi verba inania profers, vanaſq; jactationes nulla reſponſione dignas. Ego interim nõ minus, quam tu, fidenter Lectori de huius argumentationis valore judicium permitto.

XVIII. Absurdum Prædicantium.

Textus præfationis.

IMMO etiam iniuſtæ. *Pag. 67.*

APOLOGIA.

COHÆRET hoc Abſurdum cum præcedente, vt materiæ ſimilitudine, ita etiam verborum nexu. Et eſt ſenſus, à Prædicantibus dictũ eſſe, quod niſi ſcriptura ſit vnica norma, pœnæ diuinitus inflictæ tranſgreſſoribus legis ſcriptæ, futuræ ſint *iniuſta.* Et quid hic Hunnius? Nuſquam ſcilicet veritati adhæret; & ſi vnquam antea, hic certè ſpectatiſſimum calumniatorem ſe probat, dum hoc etiã loco falſi crimen præfationi impingit. Et vide quæſo te, Lector, qua ratione homo impudens inſaniat. *Iterum,* inquit, *paginam vbi hoc dicatur annotat audaciſſimus impoſtor, paginam inquam 67. Eam tu, Lector, probè inſpice, & contrarium prorſus illic inuenies. Sic ibi D. Hailbronnerus loquitur : alias enim reprehenſiones illa ac pœna diuina fruſtranea,* (NON ENIM DICERE LICET *iniuſta*) *fuiſſent.* &c. Hactenus Hunnius, Itané verò, Hunni, hæc ſolũ verba jubes Lectorem inſpicere? Hocné ſolum dixit Hailbronnerus? nihil de hac re in illa ipſa pagina amplius? Illud ergo non dixit, quod in præfatione dixiſſe memoratur? Vide quæſo, Lector, & vel mani- Calum. Hunn.

Q bus

bus palpa, extremam impudentiam & calumniam hominis. Cum enim ea verba Hailbronnerus, ita, vt iam ex Hunnio retulimus, protuliſſet: paulo poſt infra, cùm denuo ſermonem faceret Hailbronnerus, hæc ad verbum loquitur, quæ & in eadem illa pagina, ad quam ſe & præfatio, & Hunnius remittit, habentur: *Si Deus iſtis pœnis non voluiſſet declarare, voluntatem ſuam eſſe, vt vnicum ſuum verbum ſcriptum eſſet norma, tum POENÆ ILLÆ FVISSENT INIVSTÆ: Sed non fuerunt injuſtæ: ergo vnicum illud verbum ſcriptum eſt norma.* Ita ad verbum Hailbronnerus, vtroq; Protocollo teſtante. Nec hîc amplius addo quicquam: nihil exaggero. mihi depuliſſe criminationem, & in Prædicantis frontem retorſiſſe ſatis eſt. Tu lector videris, quid de hoc Prædicante ſtatuas, & quantum ei impoſterum fidei habere velis.

' Prot. Monach. pag. 67. Prot. Lauinus. pag. 100.

XIX. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus Præfationis.

QVOD nullus olim fuerit punitus propter tranſgreſſionem legis non ſcriptæ. Pag. 89.

APOLOGIA.

EXPLICAT Hunnius hoc dictum de tempore legis Scriptæ, & reſtringit ad materiam inſtituti cultus, aitq; exempla in contrarium obiecta nobis penitus fuiſſe erepta. Cum ergo ſic ſtatuat Hunnius, quis non credat? imo quis credat? toties de mendacio conuicto? Videat Lector Protocollum hac de re Seſſ. 5. & 6. & liberè judicet.

XX. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus Præfationis.

QVOD Prædicantes à Catholicis honeſtiſſimè prouocati certamen turpiſſime detrectarunt, Pag. 167.

APO-

Digitized by Google

APOLOGIA.

AIT Hunnius ſe ad hoc reſpondiſſe in ſuo Apologetico. Ego verò è conuerſo aio, me omnes illas ratiunculas, quibus ſe tueri nititur Hunnius, refutaſſe in mea Relatione, priuſqam ab eo fuiſſent excogitatæ. Relat. parte 1. cap. 9.

CAPVT VIII.

DE TERTIA DECADE ABſurditatum, quæ Prædicantibus in præfatione obijciuntur.

XXI. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD extra Synagogam Iudaicam olim non fuerit vlla vera Eccleſia. Pag. 124. & 136.

APOLOGIA.

CRIMEN falſi hoc appellat Hunnius. Sed de calumnia apertè conuincitur, ex verbis Iacobi Hailbrõneri citata Pag. 124. quæ ſic ſe habent: *Secundum exemplum ab Aduerſarijs allatum fuit Eccleſiæ extra Synagogam Iſraëliticam, quæ ſine lege ſcripta Moſaica, per bis mille annos circiter ſalua conſtiterit non legi ſcriptæ obtemperans* Quæ vero *fuerit illa Eccleſia, & ea quidem ſalua extra Synagogam Iſraëliticam, NVSQVAM INVENIO. Niſi quod omnibus ſeculis quidam ex gentiliſmo ad religionem Iſraëlitarum fuerint conuerſi, adeoq; ſecundum ſcriptum verbum Moſaicum religionem & cultus ſuos inſtituerunt, etſi fortaſſe non omnes circumciſionis ſacramentum acceperint.* Ita Hailbronnerus & ſuum abſurdum ſtatuens, & Hunnij calumniam redarguens. Quale vero ſit illud, quod ſimul de inſtituto cultu ſecundum verbum ſcriptum Moſaicum, etiam à non circumciſis, dicit, infra videbimus. Cap. 14.

XXII. Abſurdum Prædicantium.

Textus Præfationis.

Q*VOD nulli in primitiua Eccleſia fuerint Prophetæ. Pag. 114. & 128.*

APOLOGIA.

HVius quoq; adeo pudendi dicti, quia pudet Hunnium, iam negat. Sed bene eſt in oculis hominum verſari Protocollum, quod citata pag. 114. hæc Hunnij verba habet: *Reſpondeo. Paulus loquitur de ea Eccleſia inprimis, quæ tum per omnium gentium orbem prædicatione Euangelij colligebatur. In nouo teſtamento ea Eccleſia PROPHETAS voce loquentes audire* Minime Potvit, *vtpote pridem hac mortali vita defunctos. Cum igitur Eccleſia Dei etiam noui teſtamenti ſuperſtructa ſit ſuper fundamentum non modo Apoſtolorum, ſed etiam Prophetarum, & verò Prophetæ eo tempore NON NISI in ſcriptura ſua exaudiebantur, omnino exiſtimo, neminem eſſe, qui hanc inuictam, & immotam ſolutionem de fundamento Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ, vel impertinentem, vel etiam falſam pronunciare audeat. Nam illa coniunguntur in textu.* Hîc certe generatim negat Hunnius Prophetas voce loquentes in Eccleſia primitiua *audiri potuiſſe*, generatim quoq; aſſerit, Prophetas *non niſi in Scriptura* exauditos fuiſſe. Vnde etiam dictum hoc in Colloquio à me generatim acceptum & refutatum eſt his verbis, quæ habentur in citata pagina 128. *Deinde falſum eſt, tunc nullos fuiſſe Prophetas, quorum doctrina tanquam fundamento Eccleſiæ fideles niti debuerint. Ipſi enim Apoſtoli ſimul vtiq; Prophetæ etiam erant: & Apoſtolus quoq; de Prophetis Eccleſiæ primitiuæ apertam mentionem facit 1. ad Corinth. 12. & Epheſ. 4.* Quam etiam reſponſionem Hunnius nullo verbo vlterius impugnauit. Neq; refert, quod iam Hunnius ſuum illud dictum de Prophetis veteris teſtamenti interpretatur. De quibus etiam duntaxat Apoſtolum illic locutũ eſſe dicit. Imprimis enim non iam de Hunnij interpretatione litigamus, ſed de eo quod verba Hunnij per ſe ſonare videntur, quæ generalia eſſe ſuperius oſtendimus. Deinde ſi de Prophetis veteris teſtamenti duntaxat loquutus

Prot. Monach. pag. 114.

Digitized by Google

quutus eſt Hunnius, tunc profectò omni abſurdo abſurdior eſt illa conſequentia, quam ex citato loco Epheſ. 2. Vbi dicitur, fideles ædificatos eſſe *ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*, exſculpere nitebatur Hunnius in hunc ſenſum. Per fundamentū Prophetarum intelligitur eo loco duntaxat doctrina ſcripta Prophetarū veteris teſtamenti, vt pote qui alia ratione docētes in Eccleſia primitiua audiri non potuerunt: Ergo etiam per fundamentum Apoſtolorum eo loco intelligenda eſt determinatè ſola doctrina Apoſtolorum ſcripta, non autem generatim, vt ego dicebam, doctrina Apoſtolorum ſeu Scripta, ſeu voce prædicata, quaſi verò etiam iſti in primitiua Eccleſia non potuerint exaudiri, niſi in ſuis Scriptis. Itaq; ſi de verbis Hunnij, vt ſonant, loquamur, manet Abſurdum Hunnio in præfatione obiectum. Si Hunnij interpretationem admittimus, nouum exoritur, non multo laudabilius præcedente.

XXIII. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus præfationis.

QVOD ſi S. Paulus ad Roman. 15. non auſus fuit, falſi aliquid de ſe dicere, etiam Pontifex non habeat authoritatem ferendi leges in Eccleſia. Pag. 129.

APOLOGIA.

ET hoc quoq; *falſi crimen* appellat Hunnius, nec aliā ob cauſam, quod *quòd*, vt ait, *qui legit hæc, non aliter poteſt ex ipſa litera judicare, quam noſtra,* inquit, *recitari verba.* Sed mentitur calumniator. Nam qui legit hæc in præfatione, non limis oculis, vt Prædicans, ſed ſinceris, non aliter poteſt ex ipſa litera & typo judicare, quàm non verba quidem Prædicantium (ea enim, ſi quando recitabantur, peculiari typo à cæteris in præfatione diſtincta ſunt, quod hic tamen factum non eſt) ſed vim inſulſiſſimi argumenti, quod ex illo loco Apoſtoli ineptè extructum, ſæpius cōtra ſuam conſcientiam obtruſerat Hunnius, referri. De quâ re videat Lector citatam paginam Protocolli, item pag. 101. 109. 115. & liberè judicet.

Digitized by Google

XXIV. Abſurdum Prædicantium.

Textus præfationis.

QVOD *locus ille S. Pauli 2. Timoth. 3.* Omnis Scriptura *&c.* vtilis eſt ad docendum &c. *(Prædicante interprete) ita ſit intelligendus*: omnis, *id eſt, tota,* vtilis eſt, *id eſt, ſufficiens eſt. Pag. 140. &c.*

APOLOGIA.

AGNOSCIT bellam ſuam Scripturæ interpretationē Hunnius, ſed ait, de hoc à ſe copioſè dictū eſſe in ſuo Apologetico pag. 334. Sed Hunnius tunc ſcilicet huius turpiſſimi Abſurdi notam delebit, quando ventus maria ſiccabit. Videat Lector Protocollum loco citato, & Examen Hunn. Relat. cap. 17.

Vid. Apolog. Relat. cap. 5.

XXV. Abſurdum Prædicantium.

Textus Præfationis.

QVOD *Eccleſia 1. ad Timoth. 3. ideo ſolum dicatur* columna & firmamentum veritatis, *quia cuſtodit, conſeruat, & propagat ſacram Scripturam pag. 123. Quod cum itidem Synagoga Iudaica faciat, etiam ipſa Prædicantibus erit vtiq;* columna & firmamentum veritatis. *Et quid ni? cum* cathedra Moyſis ſit æterna.

APOLOGIA.

FVRIT hic rurſus inſanus Prædicans, & per falſi crimen injuriam ſibi fieri clamitat. Nam ſe duo membra reſponſionis poſuiſſe, cur Eccleſia dicatur columna & firmamentum veritatis. Vnum autem hic recenſeri tantum, alterum malitioſè taceri. Verum ſi ob verba tumultuatur Prædicans, quaſi eius verba non omnia recitata ſint, tunc vanus impoſtor eſt. Iam enim aliquoties monui, verba Prædicantium in præfatione non recitari, niſi cum diuerſo

typo,

Digitized by Google

typo, (quod tamen in propoſito nequaquam accidit, niſi in recitatione illius Epiphonematis Hunniani, de perpetuitate cathedræ Moſaicæ) à reliquis ſecernuntur. Alias enim abſurditatem breuiſſimis duntaxat ſymbolis indicari verius, quam enarrari.

Si verò de re contendit, quaſi videlicet re ipſa aliquid amplius tribuerit Eccleſiæ Hunnius, quàm quod in præfatione relatũ eſt, aut quaſi verum non ſit, eius quidem ſententia fideliter relata, Synagogam Iudaicam, non minus quam Eccleſiam Chriſtianam dicendam eſſe, *columnam & firmamentum veritatis*, itidem calumniator eſt. Quid enim in propoſito amplius tribuit Eccleſiæ Hunnius, quam Synagogæ? Ait, quia etiam à ſe dicta fuerit columna veritatis, *ratione Teſtimonij, quod veritati in Scripturis comprehenſa perhibet Eccleſia. vt quauis potius ſupplicia ſuſtinere malit, quam eripi ſinat veritatem in verbo diuino ſcripto cœlitus nobis cõmendatam:* quod iam in præfatione queritur omiſſum.

Sed hoc aut omnino idem eſt cum eo, quod prius, licet (vt eſt in verbis profuſus, & in tautologiæ ſchemate probè exercitatus) diuerſis verbis, ijs ſcilicet, quæ in præfatione habentur, dixerat Hunnius: aut profectò ſi aliter explicetur, ab Hunnio in Colloquio nunquam aſſertum eſt, nec aſſeri poterit vnquam, quamdiu Hunnius, hoc eſt, Luheranus Prædicans eſt. Quod ita manifeſtiſſimum facio. Tripliciter enim intelligi poteſt, Eccleſiam perhibere teſtimonium etiã ſanguinis profuſione, ſi opus ſit, obſignatum, veritati in Scripturis comprehenſæ. Primo, quia omnibus veritatibus in Scriptura contentis, ita conſtanter adhæreat, vt Eccleſia tota nunquam vlla vi poſſit ab vlla veritate fidei dimoueri, ac proinde ſit prorſus quo ad res fidei abſolutè infallibilis. Et hic ſenſus verus quidem & Catholicus eſt, Eccleſiamq; Chriſtianam à Synagoga huius temporis maximo diſcrimine ſeparat, fundatus in illo Chriſti Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam:* Sed ab Hunnio oppugnatus, non receptus eſt; nec recipi ab eo poteſt, quamdiu Lutherum recipit, profitentem ſe collapſam, & plurimis erroribus vniuerſo orbe Chriſtiano inuolutam Euangelij doctrinam primum rurſus erexiſſe & reſtauraſſe. Secundò, quia Eccleſia cũ teſtatur hos vel illos libros eſſe canonicos, ſimul etiam

Digitized by Google

etiam in genere ſaltem teſtatur, veritates omnes in ijs contentas; eſſe diuinas, & à Deo reuelatas. Tertiò, quia in particulari quoque declarat & profitetur aliquas veritat[illegible] in Scriptura contentas, eiſq, ita adhæret, vt etiam, ſi opus ſit, [illegible] illis ponere ſit parata. Et hi duo modi procedunt quidem [illegible] doctrina Hunnij, ſed adeo nec Eccleſiá à Synagoga diſtinguunt. nec ab ipſamet propagatione & conſeruatione Scripturæ diſtinguuntur, vt cæcus ſit, qui hoc non videat.

Conſtat enim, nec diffitentur ipſimet Prædicantes, etiam Iudæos hoc tempore perhibere teſtimonium Scripturæ ſacræ veteris Teſtamenti: Neq; hoc tantũ, ſed etiam quibusdam veritatibus in Scriptura contentis ita conſtanter adhæreſcere, vt etiam parati ſint vitam pro ijs fundere, verbi gratia, quod Deus vnus ſit, quòd ſit creator cœli & terræ, quod ſit juſtus vindex malorum, & remunerator bonorum, quod fidelis in promiſſionibus, quod Abrahæ factæ ſint promiſſiones de aduentu Meſſiæ, &c. Deinde idem eſſe; *Eccleſiam* hac quidem ratione *teſtari de veritatibus in ſcriptura* contentis, & *cuſtodire*, ſiue *conſeruare, & propagare* ſacram Scripturam, ex hoc patet, quia Scriptura propagari non poteſt, niſi teſtando, eam Deo reuelante eſſe conſcriptam, & diuinas in ea veritates contineri, quod ſine aliquarum veritatum aperte in ea cõtentarum qualicunq; fide & profeſſione fieri non poteſt. Ex quibus iam ſatis patet, non ſolum nihil iniuria tributum eſſe Prædicantibus, ſed etiam ſimul clarius eluceſcit illa Prædicantium abſurditas, in præfatione notata; vt gratiæ potius videantur agendæ Hunnio, qui ſua calumnia huius declarationis occaſionem præbuit, quam iraſcendum.

XXVI. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus Præfationis.

Q*VOD inſtitutum illud Rechabitarum Hierem. 35.* non ad Dei cultum, ſed ad diſciplinam ſolum quãdam domeſticam ſpectet. *Pag. 137. Plurimũ enim intereſt patrumfamilias (præſertim è Præ-*

Prædicantium ordine) vt tam ipſi, quam filij eorum vinum non bibant, domos non ædificent, vineam & agrum & ſementem non habeant, *vt Rechabitæ fecerunt.*

APOLOGIA.

AGNOSCIT ſuum dictum Prædicans: Sed negat abſurdum eſſe, remittens Lectorem ad Protocollum: ex quo & ego Lectori integrum permitto judicium. Dolet tamen interim Hunnio, quod patribus familias Prædicantibus, eorumq; filijs hæc Rechabitarũ domeſtica diſciplina, adeò in præfatione ſtudioſe ſit comendata, quam ipſe non minus, quam Chameunias, ciliciaq; Monachis ex integro vult relictã. Sed miror hominem inhumanũ nouo onere velle grauatos Monachos, quos alioqui humanis traditionibus adeò prægrauatos deplorare ſolet. Quin potius relinquant Prædicantes traditiones humanas Monachis, & hanc domeſticam diſciplinam Rechabitarum in Scriptura adeò manifeſtè commendatam, ipſi amplectantur, vt quo erga Scripturam ſint ſtudio, non tantum voce, vt hactenus, ſed etiam re ipſa oſtendant. Iam vero quod non ſolum ipſi *domos* vſq; adeo amplas (& latina, & hebraica phraſi) *ædificant*, ſed etiam *domos, vineas, agros, hortos, prædia, monaſteria, molas, annuos reditus*, Monachorum & Eccleſiæ, ſub prætextu ſui Pſeudoeuangelij ſacrilegè deuorant, valde profectò à Rechabitarum inſtituto procul abſunt. Agnoſcit credo Prædicans ſuas calumnias jure retortas.

XXVII. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD omnes hæreſes ſufficienter ex ſola Scriptura refellantur, ſeparata omni alia infallibili Eccleſiæ authoritate ac traditione, pag. 144. Cum tamen Prædicantibus fatentibus, ſepoſita infallibili Eccleſiæ traditione, nec ſciri quidem poſſit, an, & quænã ſit ſacra Scriptura.

Digitized by Google

APOLOGIA.

PRIMVM, ait Hunnius, non eſſe abſurditatem, ſed veritatem: Poſterius negat ſe falſos eſſe. Sed hoc eſſe mendacium, ex mera deſperatione confictum ſatis oſtendi in examine Relationis Hunnianæ. cap. 18. & paulo poſt infra fuſius oſtendetur. Illum verò perniciosiſſimum errorem eſſe, omniumq; hæreſon fontem luculenter commonſtratum eſt tum in Colloquio Seſſ. 9. 13. & 14. tum in Reſponſo Iacobi Gretſeri ad theſes Hunnianas, tum in Relatione part. 1. cap. 11. & tota ferè part. 2. tum in ſpecie contra Hunnianas calumnias in examine Hunn. Relationis. cap. 12. & 21. Quæ Lector veritatis amans conſulat.

Abſurd. Prædic. 48. & 49.

XXVIII. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD aduerſarij, vt ſupra dictum eſt, duo loca in allegatis à ſe ſanctorum patrum teſtimonijs deprauarunt, vt inſtituto ſuo deſeruire viderentur.

APOLOGIA.

HAC in re calumniæ & impoſturæ Hunnianæ ſuperius luculenter detectæ ſunt, quibus nihil addere opus eſt, cum nec ipſe Hunnius quicquam hic addat.

XXIX. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD ea dogmata de quibus inter nos & illos controuertitur, ſimpliciter & neceſſario credenda & cognoſcenda non ſint. *Pag. 167. Quo vix aliquid παραδοξότερον dicere potuiſſent aduerſarij. Certe hac ratione ampliſſimam facultatem omnibus conceſſerunt, Lutheranam ſectam deſerendi. Cur enim tam pertinaciter retineatur, quæ neceſſariò teneri non debet?*

APO-

Digitized by Google

APOLOGIA.

HVNNIVS, vt ictus ille piſcator, ſerò iam vulneri emplaſtrum adhibet. Ait, verba ſua illic ſonare duntaxat, de dogmatibus Catholicorum, quæ ipſi extra Scripturam habent. Sed hoc mendacium eſt, non pharmacum. Dictum enim illud Prædicantium generale eſt, vt ex Protocollo patet, in quo ſic habent eorum verba. *Quandoquidem igitur de ijs dogmatibus, de quibus inter nos & illos controuertitur* (controuertitur autem vtrinq; etiam de dogmatibus Pſeudoeuangelicorũ) *perſpicuè nihil docetur in ſacris ſcripturis,* (quod tamen æquè parùm fatentur Catholici, quam parùm Gregorius de Valentia omnia omnino dogmata neceſſario omnibus credenda in Scriptura ſatis apertè contineri dixit) *arbitramur, illa ſimpliciter & neceſſario credenda & cognoſcenda non eſſe.* Vnde veriſſimè concluſum eſt, Prædicantes facultatem omnibus feciſſe ſuæ ſectæ deſerendæ. Quam autem inſulsè & pueriliter Prædicantes eo loco, veriſſima alioqui doctrina Gregorij de Valentia abuſi ſint, oſtenſum eſt in Protocollo.pag. 135. Illud profectò impudenter facit Hunnius, quod eam Gregorij ſententiam, eò nunc rapit, quaſi dixerit omnia omnino dogmata Catholicorum perſpicuè fere in Scripturis ipſis doceri, cum ex contextu manifeſtiſſimum ſit, locutum eſſe duntaxat de ijs, quæ alioquin etiam in ſpecie in Scriptura, non extra Scripturam traderentur, idq; occaſione controuerſiæ illius, quam de perſpicuitate Scripturæ Catholici cum hæreticis habent. Prot. Monach. pag. 167.

XXX. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD legitimi atque etiam ſupremi magiſtratus ſententiam latam, in aliqua controuerſia dubia, quæ ad eum dijudicanda ſpectet, liceat ſubditis examinare, & ab ea recedere, ſi aliter illis videatur. Pag. 215. &c.

APOLOGIA.

VErè illud à ſe dictum eſſe, ex Protocollo vult videri Prædicans: liberum ſit ergo hac de re judicium Lectori ex actis Colloquij. Quod verò ait Hunnius, ſubditum, ſi facto examine deprehendat, ſententiam etiam ſupremi Magiſtratus eſſe aduerſam Scripturæ, ab eius ſententia recedere poſſe, inter nos minimè controuertitur: Sed de his duobus I. Vtrum fieri vnquam poſſit, vt ſubditus verè deprehendat ſententiam ſupremi capitis Eccleſiæ, Romani Pontificis, in aliqua dubia fidei quæſtione latam, Scripturis aduerſam eſſe, atq; adeò an is in definienda dubia fidei quæſtione, à ſcripturæ ſenſu aberrare poſſit. II. Vtrum ſubditus de eiuſmodi ſententia ſibi iam legitimè denunciata, adhuc amplius dubitare, & quæſtionem mouere poſſit, eamq; ſub examen vocare, an verò ei (in obſequium fidei captiuando intellectum) ſine mora debeat acquieſcere, de qua re ſupra, & in examine Hunn. Relat. cap. 17. Scripturæ autem teſtimonia, ad quæ nihil in Colloquio à nobis reſponſum eſſe vaniſſimè jactitat Prædicans, infra pertractabimus, quando plura Prædicantium abſurda referemus.

CAPVT IX.

DE QVARTA DECADE ABſurdorum Prædicantibus in præfatione obiectorum.

XXXI. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD in cauſis fidei nullus à Deo conſtitutus ſit Iudex, per quem ante diem extremum judicij, *ita manifeſta fiat controuerſiarum deciſio, vt partium litigantium altera euidenter ſciat, ſe cauſam obtinuiſſe; altera, ſe amiſiſſe. Pag. 220.*

APO

Digitized by Google

APOLOGIA.

SERMO eſt de judice habente abſolutam in terris poteſtatem judicandi, cuius videlicet ſententiæ abſque omni vlteriori tergiuerſatione partes abſolutè ſtare teneantur. Neq; verò hanc ſuam eſſe ſententiam, negat Prædicans, ſed ſignificat potius, eã Scripturis eſſe conformem, & à ſe in ſuo Apologetico defenſam. Sed quia ſuperius de Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ratione ſatis fusè contra Prædicantes actum eſt, & hæc ipſa Hunnij abſurditas, tum in Relat. mea part. 2. cap. 2. tum in examine Hunnianæ Relat. cap. 18. ſatis à me copioſè refutata eſt, nihil attinet hîc eam fuſius pertractare.

XXXII. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus Præfationis.

QVOD in diſputatione cum Iudæis Chriſtus non ſuſtinuerit officium Iudicis: nec ſe, ſed Moyſen, & verbum ſuum conſtituerit Iudicem. Pag. 223.

APOLOGIA.

DEFENDIT etiam hoc Abſurdum Hunnius, & Chriſtum Dominum in cuius contumeliam vergit, eius patronum aſciſcit, adducto eius teſtimonio Ioañis 5. *Nolite putare quod ego accuſaturus ſim vos apud patrem, eſt qui vos accuſet Moyſes.* Et Ioannis 12. *Si quis audierit verba mea, & non crediderit: ego non judico eum. Non enim veni, vt judicem mundum, ſed vt ſeruem mundum. Qui reijcit me, nec accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo quem locutus ſum, ille judicabit eum in nouiſſimo die.* Ioan. 5.

Sed cur, mi Hunni, diſſimulas cætera, quæ apud Ioannem in locis citatis leguntur? Præſtabo tuam negligentiam. Ita enim legimus Ioannis 5. *Neq; enim pater judicat quemquam: ſed omne judicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem.* Et tu, Hunni, honorem Iudicis ei vis abrogare? Audi rurſus Chri- Ioan. 5.

ſtum eodem loco: *Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei etiam judicium facere, quia filius hominis eſt.* Audi rurſus: *Non poſſum ego à meipſo facere* Ioan. 5. *quicquam, ſicut audio, judico: & judicium meum iuſtum eſt.* Vbi nota, Hunni, hæc omnia eſſe pronunciata à Chriſto in diſputatione cõtra Iudæos. Et quid opus eſt multis? Voles ne Prædicans, vt ex Symbolo Apoſtolorũ eradamus illum Articulum: *Inde venturus eſt judicare viuos & mortuos.* Voleſné, vt eius loco ſubſtituamus: Moyſes, aut verba quæ locutus eſt Chriſtus, ventura ſunt judicare viuos & mortuos? Quid ergò ſibi volunt illa dicta Chriſti ab Hunnio citata? Certè ex eis colligi non poſſe, quin Chriſtus & hîc in terris officium judicis ſuſtinuerit, & iterum venturus ſit judicare viuos & mortuos, ex ſymbolo & ſupradictis Scripturæ teſtimonijs luce clarius eſt. quid ergo? In primo dicto ſolum vult Chriſtus, ſua accuſatione apud patrem opus non fore, neq; Iudæos à ſe tantũ, ſed etiam per ſcripturã Moyſis, in qua Iudæi præcipuã fiduciã poſuiſſe videbantur, velut per infallibilẽ regulam fidem in Chriſtũ multis locis præcipientẽ, accuſari & condẽnari. Sunt enim in Scripturis multa ſimilia, vbi quod negatur, non negatiuè ſimpliciter; ſed cũ Ioan. 5. certo reſpectu, & comparatiuè accipiendum eſt. Ioannis 5. *Non* Ioan. 12. *quæro voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.* Ioannis 12. *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum, qui miſit me. &c.* In poſteriori loco, vt ex adiecta antitheſi patet, ſermo eſt, non de judicio definitionis præciſè, quod videlicet ad veritatis deciſionem ſpectat, ſed de judicio abſolutæ condemnationis pœnas ſcelerum à reis exigente: Venerat enim Chriſtus ſaluare mundum, non damnare.

Sed vbi, Hunni, dixit Chriſtus, quæ in eadem Protocolli pagina Chriſto tribuis? *Non ego, ſed ſermo meus judicabit, vos in nouiſſimo* Hunn. falſ. crim. in Sp. S. Ioan. 12. *die?* annon execrabile ſcelus hoc eſt, Chriſto tua illa verba (*non ego*) affingere? quæ nunquam eo loco habentur? At dixerat Chriſtus prius: *Ego non judico eum.* Ita eſt, ſed non dixit hoc poſtea, cum de *nouiſſimo die* loqueretur. In hoc mundo non judicabat, hoc eſt, nõ damnabat Chriſtus quemquã, vt ſupra explicatũ eſt: at nuſquã negauit, ſe in *nouiſſimo die* judicaturum. Eſtné hoc Hunni ſcripturas citare, an ſceleratè deprauare? an hoc eſt Scripturis in Colloquio

cauſam euiciſſe, an turpiter prodidiſſe? Concludo hunc de Chriſti judicio locum contra Hunnium, cum S. Auguſtino: *Audite*, inquit, *quomodo dicit filius, ego non judico eum, cum dicat alio loco, pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio: Niſi quia intelligendũ eſt, modo non judico eum. Quare non judicat modo? attende quod ſequitur. Non enim veni, inquit, vt judicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum. Nunc ergo eſt tempus miſericordiæ, poſtea erit judicij, quia miſericordiam, inquit, & judicium cantabo tibi Domine. Sed de ipſo etiam futuro nouiſſimo judicio, videte quid dicat. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo quem locutus ſum, ille judicabit eum in nouiſſimo die. NON AIT, qui ſpernit me, & non accipit verba mea, EGO NON JVDICO eum in nouiſſimo die, Hoc enim ſi dixiſſet, non video quomodo poſſit non eſſe contrarium illi ſententiæ, vbi ait: Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio. Cum verò, dixit, qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum: exſpectantibus autẽ quisnam ille eſſet, ſecutus adiunxit, Sermo quẽ locutus ſum, ille judicabit eum in nouiſſimo die: Satis manifeſtauit, ſemetipſum judicaturum in nouiſſimo die. Seipſum quippe locutus eſt, ſeipſum annunciauit, ſeipſum ianuam poſuit, qua ipſe ad oues paſtor intraret.* Ita Auguſtinus, qui ſic plane hîc diſputauit, tanquam ſi ex inſtituto, & Hunnij deliria refutare, & eius execrandam illam impoſturam, & falſi crimen, in Colloquio comiſſum notare voluiſſet. August. tract. 64. in Ioan.

XXXIII. Absurdum Prædicantium.

Textus Præfationis.

SPIRITVM Sanctum, quatenus præciſe per Scripturam loquitur, eo modo quo hactenus ſemper locutus eſt, ac proinde, ſi aliud interim nec dicat, nec faciat, non iam quidem ita claram ſententiam ferre, vt altera pars euidenter ſciat, ſe cauſam obtinuiſſe, altera ſe cauſa cecidiſſe. Sed poſſe tamẽ ea ratione, quatenus, vt dixi, præciſè per Scripturã loquitur, hoc facere, quæ eſt apertiſſima implicatio contradictionis. Et tamẽ quiſquis hoc nõ aſſerit, Prædicantibus blaſphemat. Pag. 122.

APO-

Digitized by Google

APOLOGIA.

AIT Prædicans, ſe confixiſſe obiectum de contradictione in ſuo Apologetico. Sed ſcilicet Cornici oculos. Contradictio vera Prædicans non configitur. Hanc autem veriſſimam contradictionem eſſe, cum per ſe manifeſtum eſt, tum fuſius declaratur à P. Iacob. Gretſero cap. 18. ſui reſponſi, & in digreſſione 5. contra Hunniū, & à me tum in Relat. part. 2. c. 2. tum in exam. Hun. Relat. c. 18.

Addit, falſo nunc addi verba illa *(ſi aliud interim nec dicat, nec faciat)* quæ in Protocollo, nuſquam habeantur. Sed calumniatur Prædicans. Non enim ignorat, verba Protocolli à nobis non recitari, niſi cum id diſtincto charactere indicatur. Senſus autem ipſe planiſſimè in Protocollo habetur loco citato. Vbi ſic loquitur D. Gretſerus. *Hoc non poteſt facere Spiritus ſanctus, vt PRÆCISE loquitur per hanc ſcripturam*, quæ reſtrictio ſæpius etiam poſtea indicata eſt. Ait, nec illud ſe negaſſe in Colloquio, quin altera pars (quæ veritatem tuetur) euidenter ſciat ſe viciſſe. Sed nec in præfatione dicitur, id per ſe ſeparatim Prædicantes negaſſe, ſed duntaxat connexum illud : Videlicet euidenter ſcire & hanc ſe cauſam obtinuiſſe; & alteram, ſe cauſam amiſiſſe: Quod à ſe negatum eſſe neq; negat Prædicans, neq; negare poteſt. Itaq; calumniator eſt Hunnius, dum quicquam hìc mala fide relatum indicat.

XXXIV. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus Præfationis.

QVOD obſeruatio Paſchatis non ſit cultus diuinus. *Pag. 231. cui affine, quod qui pertinaciter negent Paſcha celebrandum eſſe die dominica (vt fecerunt olim Quartadecimani ab omnibus pro hæreticis habiti) non ſint hæretici. Pag. 226.*

APOLOGIA.

REPETIT hic Hunnius prius illud abſurdum; idemq; his verbis luculentius aſſerit: *Paſcha noui teſtamenti,*

quia

quia caret mandato Dei, & ſolum ab Eccleſia, licet vtili conſilio eſt inſtitutum, recte negatur eſſe cultum Dei. Satis eſt Hunni, hoc ſcire Chriſtianum, vt te Iudæum fugiat, qui Paſcha veteris teſtamenti pro cultu Dei agnoſcis, noui non item. Plura à me dicta ſunt in examine Hunnianæ Relationis cap. 18.

Circa ſecundum repetit ex ſuis dictis quædam ex Protocollo, ſed ea prudens prætermitto, vt in Protocollo refutata. Illud tamen diſſimulandū non eſt. Ait, ſe non negaſſe ſimpliciter Quartadecimanos fuiſſe hæreticos. Sed verba Hūnij citata pagina ſunt clara. Cum enim D. Gretſerus probaſſet hoc argumento eſſe articulum fidei, ſiue dogma Religionis (quod negauerat Prædicans) Paſcha celebrandum eſſe die Dominico: *Qui pertinaciter contrarium defendit ille eſt hæreticus: Ergo Paſcha celebrandum die Dominico, eſt articulus fidei.* Reſpondit Hunnius his verbis. *Eſt Schiſmaticus, itaq; NEGATVR antecedens.* Rurſus cum D. Gretſerus probationē ſubiunxiſſet: *Eſt Quartadecimanus: Ergo eſt hæreticus.* Hunnius reſpondit. NEGO CONSEQVENTIAM. Annon hoc eſt ſimpliciter negare, Quartadecimanos fuiſſe hæreticos? Neque refert, quòd poſtea ſuam ipſe ſententiam videatur voluiſſe corrigere. Nihil enim noui erat Hunnio, eandem propoſitionem in Colloquio negare, & rurſus concedere. Prot. Monach. Pag. 226.

XXXV. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus Præfationis.

EVANGELIVM S. Mathæi eſſe canonicum, nō eſſe articulum fidei, ſed tanquam traditionem *quandam* hiſtoricam: fide ſolum hiſtorica, ob hiſtoricam teſtificationem Eccleſiæ *credendam eſſe. Pag. 233. 235.*

XXXVI. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus Præfationis.

EVANGELIVM S. Matthæi eſſe Matthæi, ſiue canonicum non tantū non eſſe articulum, ſed nec dogma fidei, nec partem verbi diuini. Pag. 232. 257. 260. &c.

APOLOGIA.

VTrvmqve hoc, quod in præfatione Prædicantibus pro abſurdo obijcitur, negat & tanquam falſi crimen ſuggillat Prædicans. Ait enim, *accurato ſtudio per totum colloquium ſe diſtinxiſſe inter diſparatas haſce quæſtiones, num Euangelium Matthæi ſit Matthæi*; ac proinde *fœdiſſimum vtrobiq́, falſi crimen committi*, cum velut à Prædicantibus dictum refertur; Euangelium Matthæi eſſe canonicum, non eſſe articulum, nec dogma fidei, nec partem verbi diuini: Sed tanquam traditionem quandam hiſtoricam, fide ſolum hiſtorica, ob hiſtoricam teſtificationem credendum eſſe: Ego verò è conuerſo aſſero, Hunnium, non præfationem vtrobiq; fœdiſſimum falſi crimen committere, cum per calumniam ſua apertiſſima dicta negat, & ait, ſe inter duas illas quæſtiones *accurato ſtudio, per totum Colloquium*, diſtinxiſſe. Quod falſum eſſe adeò Deo volente ex ipſis Protocolli verbis teſtatum faciam, vt ſperē Hunnio, vel ob hanc vnicam ſuam impudentem calumniam & mendacium, omnem impoſterum fidem à viris cordatis abrogatū iri: qui etiam ſimul tacite cogitabunt illud, quid nunc cogat Prædicantem, ſuamet tam aperta dicta tegere, negare, & retractare. Audiamus ergo Protocollum.

Hunn. falſ. crim. & calum.

Primò cū Seſſ. 10. D. Gretſerus inter quæſtiones ex traditione, non ex ſcriptura dijudicandas obieciſſet etiā hanc, *an Euangelium Nicodemi ſit Nicodemi, item an Epiſtola ad Philemonem ſit canonica, necne*; ex inſtituto ſuam hac de re ſententiam declaraturus Hunius inter cætera ſic reſpondet. *Quod attinet cenſuram ſacrarum Scripturarum noui teſtamenti, tum canonicarum, tum apocrypharum: Certum eſt, eam Eccleſiæ cenſuram pertinere, Non Ad Ipsa per ſe dogmata, ſed ad* Historiam. Vbi hìc, Hunni, eſt tua diſtinctio?

II. Pag. ſeq. 231. (eſt enim in Protocolli numeris error) vniuerſim ait Hunius; *abſurdum eſſe affirmare, quod per ſcriptionem doctrinæ aucta fuerint dogmata, articuli, & eorum numerus*: Eſſent autē ſecundum Hunnium aucta, ſi concederetur, articulum ſiue dogma fidei eſſe, quod Euangelium S. Matthæi ſit canonicum. Vbi ergo Hunni manet hic tua diſtinctio?

III.

III. Ibidem Hunnius generatim ita loquitur: *Sic quoq́ȝ Eccleſiæ primitivæ teſtificatio externa de libris novi teſtamenti, itidem nō recenſetur inter articulos fidei, niſi & Oneſimi & Synagogæ Iudaicæ teſtimonium pro fidei articulo habeatur, ſed refertur (vt ſæpius dictū) ſolū ad externum, & hiſtoricum teſtimonium.* Vbi diſtinctio tua Hunni? Prot. Monach. pag. 231.

IV. Ex Seſſ. 11. prodeat primus Iacobus Hailbronnerus, qui pag. 259. ſic loquitur: *Aduerſarij potius videntur tergiuerſari, & auditoribus fucum facere, dum probaturi ſcripturam non eſſe normam, & admittendas eſſe traditiones, eam traditionem afferunt* (erat autem ſermo de hac traditione, *quod hic vel ille liber ſit canonicus*) *de qua inter nos prorſus* N V L L A *eſt controuerſia.* &c. Et cum dixiſſet, Protoc Monach. pag. 259. etiam *tempore Chriſti & Apoſtolorum neceſſario credendum fuiſſe, ſcripta Moyſis & Prophetarum eſſe canonica, & nihilominus Chriſtum ac Apoſtolos ea vſurpaſſe pro vnica norma Religionis*; interrogatus à me, annè ergo hanc traditionem præter ſcripturam credendam admitteret? Reſpondit his verbis: *Intellexi Dominum Doctorem pro confeſſo ſumere, quod admittam aliquam traditionem. Reſpondeo, ſi proprie de hoc negocio loquimur, nō eſt traditio, ſed* M E R A T E S T I F I C A T I O *Eccleſiæ primitivæ & Apoſtolicæ.* Vide Hunni, quàm hic malè eſt tuæ diſtinctioni. Loquitur enim Hailbronnerus de ea traditione, per quam conſtat ſcripta Moyſis & Prophetarum eſſe canonica, & dicit eſſe *meram teſtificationem.*

V. Sed audiat Hunnius rurſus ſeipſum pag. 262. Cum enim ad eum conuerſus dixiſſem: *Quæſo domine Doctor iuua tuum Collegam,* his ſanè verbis reſpondit: *Reſpondeo per diſtinctionem, quod pari quidem fide credendum ſit, hos vel illos libros eſſe canonicos, idq́ȝ non modo propter teſtificationem* Eccleſiæ, *ſed & propter interna Critiria, nihilominus verò non conficitur hinc, quod illa teſtificatio licet neceſſariè credenda, ſit* P A R S Q V Æ D A M V E R B I D I V I N I, *ſiue articulus, & caput doctrinæ Chriſtianæ.* Num ergo adhuc negabis, Hunni, te negaſſe, *articulum* & *partem verbi diuini* eſſe, quod Euangelium S. Matthæi, ſeu alius quiſpiam Scripturæ liber (eadem enim eſt omnium ratio) ſit canonicus. Adhuc tuam diſtinctionem vrgebis? adhuc dices, te in Colloquio ſemper diſtinxiſſe inter duas illas quæſtiones? &c. Sed plura adhuc ſuperſunt, quibus te conuincam.

VI. Cum ſiquidem taxaſſem illud Hunnij dictum his verbis: *Notetur hoc: rurſus conatur idipsũ, quod dixit, retexere, & negare, quod traditiones eiuſmodi conſtituant articulum fidei,* reſpondit Hunnius. Proto. Monac. pag. 260. *Credendum eſt, non ſicut articulus fidei, ſed vt teſtificatio hiſtorica* &c.

VII. Suam illam diſtinctionem rurſus euertit Hunnius his verbis: Pag. 261. *Reſpondeo quod dictum eſt de teſtificatione hiſtorica, vigore illius neceſſario credendum nobis eſſe, libros Apoſtolorum canonicos eſſe, vel ab hoc vel ab alio Apoſtolo ſcriptos, iterum atq; iterum prouoco ad Protocollon: quod autem Aduerſarius ex hiſtorica teſtificatione, architectatur peculiarem articulum, id multoties iam protritum & refutatum eſt.* Si igitur, vt ais Hunni, hoc toties ipſe protriuiſti & refutaſti, quomodo nunc iterato id vis ſtatuere & erigere.

IIX. Sed necdum finis eſt. Nam cum his verbis argumentũ Prot. Monach. pag. 260. vrgerem: *Maiuſculis litteris notetur, quòd D. Hunnius dicit, non eſſe articulum fidei, quod omnes libri in Biblijs ſint canonici. Iactant verbum, verbum, & tamen non credunt:* Mox his verbis reſpondet Hunnius: *Non eſt negatum, quod ſit de fide. Alind eſt, quando quid creditur, vt HISTORIA certa, cui fidem derogare nefas ſit. ALIVD viciſſim eſt, cum quid creditur, vt dogma, & articulus Religionis.* Annon hæc ſufficiunt, optime Lector, ad immanem illam Hunnij calumniam & impudentiam retundendam, qua dixerat, ſibi falsò quippiam impactum eſſe, ſeq; diſtinxiſſe ſemper, inter duas illas quæſtiones, an liber quiſquam ſit canonicus, & an ſit huius authoris, & hanc quidem non conſtituere fidei dogma, ſed illam. Adeò ſcilicet oportet deſperatæ cauſæ tutores extrema etiam ac deſperata remedia tentare. Neq; refert, quòd Hunnius aliquando inter duas illas quæſtiones diſtinguere voluiſſe viſus eſt. Compertum enim eſt ex Protocollo, Hunnium in hac re adeò nutante, vario, ac incerto gradu inceſſiſſe, vt ſibi ipſe conſentientia minimè loqueretur. Verum de illo diſcrimine Hunniano fuſius etiam à me actum in examine Relat. Hunn. cap. 18.

XXXVII. Absurdum Prædicantium.

Textus Præfationis.

EVAN-

E*VANGELIVM S. Matthæi eſſe Matthæi ſiue canonicum, demonſtrari ex viſione quatuor animalium Ezechielis, & Apocalypſis. Pag. 236.*

XXXIIX. Absvrdvm Prædicantivm.

I*MO etiam ex internis Critirijs & inſcriptione.*

APOLOGIA.

AGNOSCIT ſua dicta Prædicans, ſed contendit abſurda non eſſe. Verũ aburdiſſima eſſe, luculenter demonſtraui in examine Hunn. Relat. cap. 18. Id ſolũmodo hoc loco ad impoſturã Hunnii detegendam obſeruabit Lector, nõ negare Catholicos, quin his, quæ in manibus habemus, quatuor Euãgelijs iam ex Eccleſiæ traditione cognitis, rectè accomodari poſſit viſio illa quatuor animalibum, vt non raro SS. Patres fecerunt: Sed hoc ſolũ contra Prædicantiũ ineptias negare, poſſe remota Eccleſiæ traditione, ex eiuſmodi viſione demonſtrari, aut ſufficienter colligi, hæc quæ modo in manibus habemus, eſſe canonica Euangelia. Similiter nõ negamus, eſſe quædam Critiria, quibus velut adminiculis roboretur fides noſtra, quã ex Eccleſiæ traditione, de hoc aut illo Scripturæ libro habemus, quod ſit canonicus. Sed hoc tantũ pernegamus, poſſe nos ex internis Critirijs aut ſolis, aut adhibita ſimul inſcriptione libri, ſine Eccleſiæ teſticatione certos reddi, ſufficienterq; edoceri, quinam libri ſint canonici, qui non ſint. Id enim tanquàm prorſus nouum, inſulſum, & ab omni authoritate & ratione alienum figmentum Prædicantium deteſtamur.

XXXIX. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus Præfationis.

Q*VOD teſtificatio de libris canonicis,* nõ ad hodiernam, ſed ad primitiuam Eccleſiam *pertineat. Pag. 232. &c. Prædicantes enim facilè tam longas aures habent, vt ſublata etiam præſentis, & totius Eccleſiæ, quæ inter nos & primitiuam interceſſit, teſtificatione & fide, ipſiusmet primitiuæ Eccleſiæ teſtificationem immediatè inaudiant.*

APOLOGIA.

Existimat Prædicans, fore, vt hoc abſurdum mox euaneſcat, ſi verba ſua recitentur. Ergo recitemus: *Teſtificatio*, inquit loco citato, *de ſcriptis* (canonicis) *non ad hodiernam Eccleſiam, ſed ad primitiuam pertinet. Primitiua Eccleſia ex originalib. teſtari, & canonem conſtituere potuerunt. Hodierna verò Eccleſia Canonem iam ante conſtitutum agnoſcit eſſe verum.* (Scilicet abſque teſtificatione intermediæ Eccleſiæ.) *Atq; hac ratione, non illo cenſorio modo, iudicat euangelium Matthæi eſſe Matthæi.* Ita Hunnius. An ergo euanuit iam abſurditas? an magis enituit? Sed hac de re pluribus à me alibi actum eſt.

Prot. Monac. pag. 232.

Exam. Hunn. Relat. cap. 18.

XL. Absurdum Prædicantium.

Textus Præfationis.

Articulum fidei eſſe, quod Pontifex ſit Antichriſtus. Neq; verò hanc iniuriam cenſere debent Catholici; quia oportet ſcapham appellare ſcapham, ligonem ligonem, & in Eccleſijs *Prædicantium* non eſt injuria. *Pag. 254. & 287.*

APOLOGIA.

Approbat hoc dictum Hunnius, hancq; velut optimum ſuæ doctrinæ articulum collaudat, nihil tamen hic noui ad eum ſtabiliendum affert. Ego verò ſcire velim, cur ergò non in ſymbolo Apoſtolorũ poſitus; imò nec in Auguſtana confeſſione expreſſus, nec à Philippo Melanchthone Auguſtanæ cõfeſſionis Architecto, ſimpliciter approbatus, cur ab omnibus veteribus non ſolum ignoratus, ſed etiã refutatus fuit? Et ſi nullo nouo Articulo Eccleſia poſt Apoſtolorum tempora facta eſt auctior, vt toties dixit Hunnius, cur hunc tam nouum, tam ante inauditum nobis obtrudunt? Sed de execrabili hac Prædicantium calumnia fuſius à me actum eſt non ſolum in Relatione part 2. cap. 5. ſed etiam in Examine cap. 19. & 22. & dicentur plura in refutatione Apologetici Hunniani.

Melancht. in ſubſcript. articulor Schmalcald.

CAPVT

CAPVT X.

DE SEPTEM ABSVRDIS *Prædicantium quintæ decadis, in præfatione notatis.*

XLI. Abſurdum Prædicantium.

Textus præfationis.

Q*VOD locus ille Matthæi 28.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos *&c.* docentes eos ſeruare, *euidenter quoq; ad infantes ſpectet.*

APOLOGIA.

TVETVR hoc ſuum Abſurdum Hunnius hoc Syllogiſmo. *Si juxta mandatum Chriſti baptizandæ ſunt omnes gentes: Ergo & infantes. Antecedens eſt verum: verũ igitur & conſequens.* Optimè, Hunni, cœpiſti, perge Matth. 28. modò, & ex citatis Chriſti verbis, hunc etiam geminũ Syllogiſmum ſubnecte. Si juxta mandatum Chriſti docendæ ſunt omnes gentes: ergo & infantes: Antecedens eſt verum: ex citatis verbis Chriſti: verum igitur & conſequens. Num placet Hunni hic Syllogiſmus tibi? Sat ſcio, non placet: ſed nec prior mihi. Itaque reijciatur vterq;. Tu verò Hunni ex ipſis Chriſti verbis didiciſſes dudum, dictum illud Chriſti; Omnes gentes &c. ob additam ab ipſo Chriſto limitationem per voculas, *docere* & *docentes* ad infantes per euidentem aliquam conſequentiam trahi non poſſe, ſi infans non eſſes, aut malitia infans eſſes.

XLII. Abſurdum Prædicantium.

Textus Præfationis.

N*AM & ipſi fieri diſcipuli poſſunt, licet* doceri *non poſſint.* *Pag. 250.*

APOLOGIA.

AGNO-

Digitized by Google

AGNOSCIT ſuum dictum Prædicans, ſed quid vis? Hunnius ſimpliciter infantes vult habere diſcipulos. Certe quidem nullis diſcipulis niſi fortè infantibus hoc paradoxum perſuadebit. Sed ait diſcipulos poſtea fuiſſe dictos Chriſtianos? Sed quid tum? Eſto enim diſcipulos Chriſtianæ Eccleſiæ eſſe Chriſtianos, ſed Chriſtianos & infantes eſſe diſcipulos, hoc inauditum eſt. Quod autem cantilenam de fide actuali infantium, item de *puſillis* illis (non infantibus) *qui in me credunt*, rurſus occinit, actum agit: Cum in ipſo Protocollo, cum maxima Prædicantium ignominia ſint refutata. Seſſ. 12. pag. 269. Erubeſceret potius Hunnius, eaq; tegeret, niſi frontem penitus exuiſſet.

XLIII. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus Præfationis.

QVOD pædobaptiſmus, ſeu infantes olim baptizatos fuiſſe, euidenter colligatur ex Actor. 16. & 1. Corinth. 1. vbi integra familia baptizata legitur, pag. 266. & 269. quomodo enim poſſit integra familia eſſe abſque infante?

APOLOGIA.

REſpondet, in citatis locis legi tres familias diſtinctas, baptizatas eſſe, Lydiæ, & cuſtodis carceris Actor: 16. Et Stephanæ. 1. Corinth. 1. Sed licet adhuc tres adderet, nunquam tamē euidens, & infallibilis conſequētia pro pædobaptiſmo hinc extrueretur. Facile enim eſt inuenire præſertim in diuerſis locis, centum familias, in quibus *infans* (nam de liberis generatim non eſt ſermo) nullus ſit. Quid? quod, vt etiam in colloquio dictum eſt, familiæ nomine ſæpe non intelligūtur infantes, tametſi in ea alioqui reperiantur: oſtēdi hoc
Actor. 16. vel ex ipſo loco Act: 16. cōtra Prædicantes euidenter poteſt. Nam faciamus, vt volunt Prædicantes, in familia Cuſtodis carceris fuiſſe infantes, certè tamen illa S. Pauli etſi ad totam familiam dicta, ad infantes pertinere non poſſent, cum diceret; *Crede in Dominū*

Ieſum,

Digitized by Google

Ieſum, & ſaluus eris tu, & domus tua. Et locuti ſunt ei verbum Domini, cum omnibus, qui erant in domo eius: niſi fortè Hunnius velit, S. Paulum etiam infantibus prædicaſſe fidem. Neque magis ad infantes referri poteſt illud, quod ſubiungitur, *lætatus eſt cum omni domo ſua credens Deo,* niſi noua quadam Philoſophia lætari etiam infantes ob auditam, & acceptam Euangelij doctrinam poſſe cenſet Hunnius.

XLIV. Abſurdum Prædicantium.

Textus Præfationis.

Q*VOD ex ſcripturis euidens ſit, infantes credere, atque adeò fidem actualem habere. pag. 276.*

APOLOGIA.

QVIA ex Protocollo hoc abſurdum probatum eſſe exiſtimat Hunnius, idcirco locis citatis id conſulat Lector; videbit haud dubiè, quam ineptè & pueriliter ſcripturas in hac re confirmanda tractarint Prædicantes. Habitum fidei quem infantibus tribuunt Catholici, taxat Prædicans, quia neſcit, quid ſit habitus: Velim tamen ex eo ſcire, an cum dormit, fidem etiam aliquam habeat, atque adeò fidelis maneat, & ſi habet, an actualem, an vero duntaxat habitum fidei? Idem quæro de infantibus iam baptizatis, donec ad vſum rationis perueniant.

XLV. Abſurdum Prædicantium.

Textus Præfationis.

Q*VOD negare conſequentiã enthymematis ſit* nihil *prorſus* reſpondere, *imò nec reſpondere quicquam* in æternum poſſe. *pag. 282.*

APOLOGIA.

DE hac Prædicantium ineptia & probro, quod in eo loco ſuis ineptis conſequentiis ex Colloquio, cunctis palam arridentibus, reportauit Hunnius, dictũ eſt à me prolixè non ſolum Relatione parte. 2. cap. 7.

Sed etiam in examine Hunn: Relat. cap. 8. & 14. vbi argumenta illa quæ hic vana iactantia innuit Húnius, & in Colloquio ex parte quidem facta fuerant, ab Hunnio verò in relatione multis mendaciis, ineptiis, & impoſturis aucta & mutata, luculenter à me ſunt diſſoluta. Et lætor, Hunnium meum illud examen iam accepiſſe, quanquam ex parte doleo, eum ex illius lectione, tam parum voluptatis cepiſſe. Quod ſi Deus dederit, vt cum Ieſuitis denuò diſputare auſit Hunnius, recepta in ſe obligatione de omnibus ſuis argumentis in formam ſyllogiſticam redigendis, experietur, an poſſint ad ea etiam ſyllogiſmo conſtricta reſpondere, ſi hactenus expertus non eſt. Interim gratias nobis aget, quod informia ſua, & confuſa illa verborum ſarmenta vel in enthymematum formã redegimus, redactaque diſploſimus.

XLVI. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus præfationis.

QVOD Syllogiſmus prima figura, ſit in ſecunda figura.

APOLOGIA.

Anal. pag. 218.

AGNOSCIT tandem miſer, cum ſuo illo Didaſcalo Andrea Libauio, hunc errorem, de quo alias velut eximio quodam artificio, imò egregio trophæo, nõ ſolum in Colloquio, ſed etiam poſt Colloquium, multo tempore, tum in Relatione ſua, tum in notationibus fuerat gloriatus, etiam in Abſurdis vtrinque poſito illo Syllogiſmo, quem in ſecunda figura affirmatiuum à D. Gretſero propoſitum iactabat. Iam autem tandem de ſua inſcitia toties notatus, ſe deceptum agnoſcit, fateturque illum ſyllogiſmum, non in *ſecunda figura*, prout in Colloquio dixerat, ſed in *prima* fuiſſe; ſicut omnino erat, non ſolum δυνάμει, ſed actu & re ipſa, etſi verbis grammaticè nonnihil tranſpoſitis, Sed quanquam, ô bone, ſatis tardè hunc tuum errorem agnoſcere didiciſti, en tamen eum tibi liberaliter condonamus; hac tamen conditione, vt & de cæteris

teris erroribus tuis ſingulis annis dediſcas, & corrigas vnum;idq; eò libentius facies, quod iam in tua Apologia etiam fateris, *te de ſingulari quadam ſcientia Dialectices non multum gloriari &c.* Illud autem caue, ne dicere pergas, quaſi videlicet *ne a noſtris quidem in Colloquio ille* tuus *error ſit animaduerſus.* Non enim exiſtimare debes, fruſtra à D. Gretſero illic dictum; *poſſum quidem oſtendere, eum ſyllogiſmum non eſſe vitioſum, ſed quia res placent, ad eas progredior & probo minorem.* Hæc tu quidem quaſi σχήματος ἕνεκα dicta aſſeris. Sed rectius dixerit quiſpiam, te nunc σχήματος ἕνεκα falſitate ludere. Apol. p. 422.

XLVII. Absvrdvm Prædicantivm.

Textus Præfationis.

QVOD niſi aliquis (etiam in infantia baptizatus, non tantum moraliter, *ſed etiam* euidenter ſciat, *atque adeò etiam recordetur,* ſe baptizatum eſſe, *fidem habeat* ſuper arenam ædificatam. *pag. 279. Ecce quam firmam & tenacem memoriam habent Prædicantes, qui ſui baptiſmatis in infantia accepti tam euidenter recordantur. Vt interim taceatur illud, quod, aiunt, nihil ad valorem baptiſmi intereſſe, qua intentione baptiſmus conferatur. Ibid.*

APOLOGIA.

HIC falſi crimen in eſſe clamat Hunnius; ob adiecta illa verba, *atque adeò etiam recordetur:* quæ à ſe vel ſuo Collega dicta negat. Sed profectò manifeſtum calumniatorem agit Prædicans, quandoquidem vel ex ipſo verborum contextu ſatis colligi poteſt, id tantum per modum ſequelæ ex Prædicantium ſententia deductæ, additum eſſe: Quid, quod ſimul etiam in ipſa præfatione verba Prædicantium à verbis præfationis hoc ipſo loco per typum manifeſtè ſunt diſtincta. Interim ſequelam Hunn. calum.

Digitized by Google

lam illam, ex illo Prædicantium pronunciato rectiſſimè & veriſſime deduci, quicquid alioqui Hunnius negauerit, opus eſſe, vt quiſpiam ſui baptiſmatis recordetur, adeò euidens eſt, vt à nemine poſſit negari. Cum enim propoſitio illa, quod quis ſit baptizatus; nec ſit principium aliquod per ſe notum, nec etiam ex principio per ſe noto euidenter deduci poſſit: neque etiam ſit de veritate aliqua quam præſenti experimento, aut euidenti reuelatione quiſpiam agnoſcat, ſed ſit de re particulari eaque præterita, neceſſum profecto eſt, vt qui talem veritatẽ euidenter cognoſcat, per euidentem recordationem rei illius præteritæ cognoſcat. Dicet fortè Prædicans, ſciri hoc euidenter ex aliorum relatione & teſtificatione. Sed hoc ſcilicet eſt inſanire, & neſcire quid ſit *euidenter*, quid *moraliter* certò ſcire. Verum ſatis video, quorſum in ſuo ſcripto tendat Prædicans. Vellet quippe particulam illam *euidenter* à ſuo Collega vſurpatam non eſſe, quam etiam ideò nequiter iam diſſimulat, eamque ſententiam, ita iam recitat, quaſi ſolummodo ab eis in Colloquio dictum ſit. *Fidem tum ſuper arenam ædificatam eſſe, ſi quis dubitet, ſe vere & efficaciter baptizatum eſſe.* Sed hoc, Hunni, non eſt præfationem falſi criminis arguere; ſed eo ſeipſum turpiter implicare. Res in Protocollo ſic habet. Cum Seſſ. 12. aſſeruiſſem, poſſe quidẽ aliquẽ moraliter ſcire, ſe baptizatum eſſe, attamen euidenter non item, ſed potius de eo ſimpliciter, & abſolute loquendo poſſe dubitari; his planè verbis reſpondit I. Hailbronnerus loco citato. *Verè & efficaciter me eſſe baptizatum*, NON TANTUM DEBEO MORALITER SCIRE: *Sed oportet me certò & EVIDENTER ſcire, quia alias fides mea ſuper arenam eſſet ædificata.* Ex hac ergo tam prodigioſe abſurda ſententia, (quam ſi poſſet libenter iam reſorberet Hunnius), iudicet Lector, annon rectè inferatur, debere etiam quemquam recordari ſui baptiſmatis? Certè ſi à facto ſuperius argumento ſe expediuerit Hunnius, facile ei tum impactam calumniam, tum hanc impoſturam diſſimulatæ veritatis condonabo. Interim vt intelligat lector, quonam tandem homines iſtos ſua figmenta adigant, lubet hîc aſſcribere doctrinam Hunnij, quam in ſuo libro de ſacramentis cap. 13. pag. 298. de pædobaptiſmo publicis typis euulgauit. Hîc enim propoſita quæſtione; *ſi mater in loco ſolitario*

Hunn. impoſt.

Protoc. Monac. pag. 279.

litario enitatur infantem, cumq́ propterea, quod videatur moriturus, baptizet, poſtea verò conualeſcat infans: num acquieſcere debeat mater in baptiſmo, quem ipſa contulit paruulo? Reſpondet: *ſi moriatur infans, ne dubitet mater illum percepiſſe verum baptiſmum, & feliciter eſſe mortuum.* (Iſtud Catholice, ſed iam pergit.) *Si vero*, inquit, *reualuerit, mater nulli hominum indicet, quod baptizarit illum: ſed tanquam non baptizatus eſſet, ſinat illum in Eccleſia cœtu baptizari.* Itane vero iterum baptizari? cum antea tamen, ipſomet Hunnio cõfitente validè ſemel baptizatus fuerit? ſinat rebaptizari? ſine conditione? matre ſciente valorem præcedentis baptiſmi, & tacente? Equidem ſi hoc non eſt Anabaptiſtarum ſacrilegia docere, neſcio, quid ſit.

CAPVT XI.

DE QVINTÆ DECADIS octauo & nono Abſurdo Prædicantium; quòd nimirum vi veritatis coacti ſuas theſes propria confeſsione eliſerunt.

XLVIII. Absvrdvm Prædicantivm

Textus Præfationis.

Q*VOD ſcriptura ſit iudex* controuerſiarum Religionis omnium, *vt apertè habetur in theſi aduerſariorum ſecunda, & tamen aliquarum controuerſiarum non ſit iudex, vt tandem faſſus eſt Hunnius. pag. 232. 233. &c. qua ipſa re quoad primum principale totius diſputationis punctum Prædicans palmam Catholicis ceſſit.*

APOLOGIA.

QVia hic de palma contra Prædicantes agitur, non obiter duntaxat res hæc tractanda eſt, ſed diligenter, & referenda, & refutanda eſt Hunnij reſponſio. Ait ſcilicet: *Hæc verba ex quibus palmam captat præfator in Protocollo*

Digitized by Google

non inuenies, imò ne quidem in ea pagina, quam allegat, quicquam occurrit, ex quo ſigmentum illud ſuum per bonam conſequentiam inferre queat. Sed quod ad verba attinet, nouit Hunnius, nos hic de verbis non agere, ſed de re, & quidem omnium totius Colloquij præcipuâ, cui Hunnius inſiſtere debet, ſi mentem cum cauſa non perdidit. Verba enim noſtra & Prædicantium hoc loco in præfatione diligenter ſunt diſtincta, vt ſępius monui.

Quod ad rem ipſam attinet, impudens, & planè deſperatæ mentis mendacium eſt, ſi negare velit, hæc re ipſa ſua fuiſſe in Colloquio pronunciata, atque adeò alterutrum illorum dictorum Prædicantibus in præfatione falſo impingi, quod licet etiam alibi probauerim in Relatione, non pigebit tamen hoc loco fuſius etiam cõtra Hunnianam impudentiam, id demonſtrare. Et quidem primum illud, quod videlicet in ſua theſi ſecunda dixerint, *Scripturam eſſe omnium controuerſiarum Religionis iudicem*, expreſsè patet ex ipſa theſi, quæ ad verbum ſic habet: *Id ipſum* (verbum DEI ſcriptum) *controuerſiarum Religionis omnium, inter eos præſertim, qui Chriſtianorum nomen ſibi vendicant, iudicem, aut ſane vocem iudicis ſupremi, quem omnes agnoſcere, timere, ac venerari tenemur conſtituimus.* Quæ theſis ſic ad verbum in vtroque Protocollo habetur. At ſecundum illud dictum, quòd nimirum Prædicantes, vi argumentorum Catholicæ partis coacti, admiſerint tandem, Scripturam ſeu verbum DEI ſcriptum non eſſe iudicem omnium controuerſiarum Religionis, ex his Hunnij verbis, quæ ex Protocollo etiam alibi recitauimus (vt alia taceam) euidenter oſtenditur. Nam cum Seſſ. 10. D. Greſerus propoſitis aliquot controuerſiis Religionis, quæ ſola ſcriptura iudice dirimi non poſſunt, etiàm hanc, de ſcripturæ canone, his verbis propoſuiſſet: *Si quæſtio oriatur, an Euangelium Nicodemi ſit Nicodemi. Item an epiſtola ad Philemonem ſit canonica, necne, illa quoque controuerſia ex Scriptura iudice decidi non poteſt: Ergo ſacra Scriptura ſola non eſt iudex omnium controuerſiarum.* Hunnius his verbis reſpondit pag. 232. *Ad alteram* (controuerſiam) *de Euangelio Nicodemi dicimus, quòd illud euangelium refe-*

Relat. de Colloq. part. 3. cap. 5.

Protoc. Monac. pag. 9.

Relat. de Colloq. part. 3. cap. 5.

Prot. Monac. p. 231.

Digitized by Google

rens nomen Nicodemi, non ſit euangelium, probari poſſe teſtimonio primitiuæ Eccleſiæ, proinde N O N S V M in ea opinione, quod ſimpliciter O M N E S traditiones reiiciamus: ſemper enim præcedentibus diebus addita eſt hæc determinatio, quod reprobentur traditiones illæ, quæ complectantur articulos & dogmata. Iam euangeliũ illud venditatum ſub nomine Nicodemi non eſſe Nicodemi, non eſt articulus fidei, non dogma. D I S T I N G V O ergo inter duplices traditiones, quarum aliæ ſunt hiſtoricæ, aliæ verò dogmaticæ. Et quod attinet C E N S V R A M ſacrarum ſcripturarum noui teſtamenti, tum canonicarum, tum apocrypharum, certum eſt, eam Eccleſiæ cenſuram pertinere non ad ipſa per ſe dogmata, ſed ad hiſtoriam. Neque poſſe per teſtimonium illud Eccleſiæ nouum aliquod, & peculiare procudi dogma, quod deinde aſſuendum ſit cæteris dogmatibus in ſcriptura expreſſis. In quibus verbis hæc tria notanda ad propoſitum. Primum Hunnium non negare, ſed concedere, *Eccleſiam* (non Scripturam ſolam) eſſe iudicem illius controuerſiæ. An euangelium Nicodemi ſit Nicodemi, vt argumentum petebat. Secundum. Hunnium etiam in materia Religionis (de hac enim ſermo erat) non reprobare *omnes traditiones non ſcriptas*, ſed ſolum quæ complectantur articulos & dogmata, vt patet ex illis verbis: *Proinde non ſum* &c. & infra: *Diſtinguo ergo &c.* Tertium. Cenſuram ſacrarum Scripturarum noui teſtamenti, eſſe *cenſuram Eccleſiæ*, pendentem ex teſtimonio Eccleſiæ.

Ex quibus ſic iam contra Hunnium argumentari licet. I. Quiſquis concedit Eccleſiam (non ſolam Scripturam) eſſe iudicem controuerſiæ illius: An euangelium Nicodemi ſit Nicodemi, is concedit ſolam Scripturam non eſſe iudicem O M N I V M controuerſiarum Religionis: Sed Hunnius id concesſit, vt patet: ergò conceſſit quoque Sacram ſcripturam ſolam non eſſe iudicem *omnium controuerſiarum Religionis.* Maior eſt euidens, quia etiam hæc eſt controuerſia Religionis, an Euangelium Nicodemi ſit Nicodemi: ergo qui concedit ſacram Scripturam ſolam non eſſe iudicem huius controuerſiæ, is etiam cõcedit, ſacram Scripturam ſolam non eſſe iudicem omnium controuerſiarum Religionis.

Nullius

II. Nullius *traditionis non ſcriptæ* (ſi forte circa eam quæſtio incidat) ſola ſcriptura eſt iudex; Hunnius conceſſit eſſe traditiones aliquas non ſcriptas, etiam in materia Religionis: Ergo etiam cõceſſit, eſſe traditiones aliquas in materia Religionis, quarum (ſi forte de iis lis moueatur) ſcriptura ſola non ſit iudex.

III. Quiſquis aſſerit cenſuram librorũ canonicorum, vel apocryphorum noui teſtamenti ſpectare ad Eccleſiam, is etiam fatetur, Eccleſiam eſſe iudicem aliquarum quæſtionum Religionis: Sed Hunnius id aſſeruit: Ergo etiam faſſus eſt, Eccleſiam, eſſe iudicem aliquarum controuerſiarum Religionis. Minor ex ipſis terminis patet. Maior probatur. Quia maxima Religionis controuerſia eſt, qui nam, & quot ſint libri Canonici. An non hîc Hunnium quaſi in tortura confitentem fecimus?

Sed vlterius eum confitentem audiamus. Cum enim D. Gretſerus circa propoſitam illam quæſtionem, ex traditione, non ex Scriptura (ipſomet Hunnio confitente) diiudicandam, vt res ab Hunnio verboſè dicta velut in ſummam conferretur, iterum interrogaſſet, *Vnde patet, quod Euangelium Nicodemi non ſit Nicodemi?* reſpondit Hunnius his ipſis verbis: *Ex teſtimonio primitiuæ Eccleſiæ.* Cum vero hîc D. Gretſerus, quaſi nodum ad vinciendũ prædicantẽ adſtricturus, inſtaret his verbis; *Ergo Eccleſia primitiua eſt Iudex, & conſequenter non ſola Scriptura*; mox Hunnius, quaſi canis lori impatiens iniecta vincula abrumpere volens, ſeipſum tamen interim magis conſtringens, ſic infit. DISTINGVENDVM *eſt inter controuerſias; Controuerſia vox interdum refertur ad ipſa dogmata, & articulos comprehenſos in iis Scriptis, de quibus teſtificatur Eccleſia. Et hac ratione ſola Scriptura eſt omnium controuerſiarum Religionis concernentium ipſos articulos fidei iudex. Iam verò quando infertur* (nimirum à D. Gretſero) *ergo Scriptura NON EST SOLA IVDEX controuerſiarum, manifeſtum eſt, controuerſias in cõcluſione notatas referri ad traditionem illam hiſtoricam, qua Eccleſia definit hunc vel illum librum eſſe Pauli, non eſſe Nicodemi. Itaq; omnium & ſingularum controuerſiarum, quæ attingunt articulos ipſos, judex eſt ſacra ſcriptura.* Ex quibus verbis hæc habemus. Primũ, diſtinxiſſe Hunnium inter controuerſias Religionis, dogmaticas videli-

Protocol. Monac. 229. Seu potius. 233.

cet,

Digitized by Google

cet,& hiſtorias: quales eſſe voluit iſtas, an hic vel ille liber ſit Pauli,an ſit liber Nicodemi &c. Alterum. Illarum quidem controuerſiarum ſacram ſcripturam eſſe judicem,harum autem judicem eſſe Eccleſiam.Vbi vides Hunnium rurſus confitentem,quod iam in præfatione obiectum libenter,ſi poſſet,retractaret: Nimirum ſacram ſcripturam non eſſe judicem omnium controuerſiarum Religionis.

Verum diſſimulare non poteſt Hunnius, quin his teſtimonijs, quæ etiam,licet non ita enucleatè,in Relatione mea retuli, potenter conuictus teneatur. Vnde neq; iam in ſuo Apologetico id ſimplicirer negare audet,à ſe dictum fuiſſe. Quid ergo? In hoc nimirum totus eſt, vt ne videatur hic aliquid contra ſuam theſin admiſiſſe. Hic omnes partim impudentiæ,partim imperitiæ neruos intendit. Et primo quidem ait, in theſi non ſimpliciter dictū eſſe, ſacram ſcripturam eſſe *omnium* controuerſiarum Religionis judicem,ſed cum limitatione,controuerſiarum Religionis *omniū INTER EOS præſertim,qui Chriſtianorum nomen ſibi vendicant.* Sed hoc nihil eſt. Primò enim particula energetica,*præſertim*,non negat, nec reſtringit præcedens dictum vniuerſale, ſed in certo ſubiecto auget.Vt ſi quis diceret,omnes Prædicātes indocti ſunt & impudentes,præſertim Hunnius: is non negaret aut reſtringeret præcedens dictum: videlicet, cæteros Prædicantes eſſe indoctos & impudentes,ſed ſolū oſtenderet eiuſmodi encomia Hunnio præ cæteris conuenire. Item ſi quis dicat: Omnes homines ſunt diligendi,ſed præcipuè propinqui,talis minimè reſtringit illam vniuerſalem, ſed ſolum declarat, quinam in amore cæteris ſint præferendi. Relat.part.3. cap.5.

Deinde ſi maximè verba illa,*inter eos præſertim qui Chriſtianorum nomen ſibi vendicant*, reſtringerent primum illud dictū (quod tamen turpiſſimè falſum eſt) adhuc tamen Hunnius conſtrictus, & conuictus à nobis teneretur; velut qui vi argumentorum adactus, poſtea in Colloquio fateri debuerit, ſacram Scripturam non eſſe iudicem omnium controuerſiarum,etiam inter Chriſtianos. Dupliciter enim intelligi poteſt,aliquam controuerſiam eſſe inter Chriſtianos. Primo ita,vt controuerſia quæpiam Chriſtia-

Digitized by Google

nis intercedat cum quibuſuis etiam infidelibus, ſaltem iis, qui Chriſti nomen, & legem quomodocunq; profitentur. Secundo, vt ſit duntaxat inter ipſos orthodoxos mutuò. Si primum velint, tunc iam, etiam fatente Hunnio, habemus controuerſiam, quæ hac ratione inter Chriſtianos eſt, aut eſſe poteſt, quandoquidem fieri poteſt, vt ſit aliquando hæreticus, qui (vt olim fiebat, idq; etiam nunc accidit) vel nouos libros canonicos Eccleſiæ velit obtrudere, aut priores adimere, cuius quidē controuerſiæ iudex nō poterit eſſe Scriptura. Si ſecundum, tunc quidem primò ſuam de Iudice ſententiam non ſatis explicaſſent, quinetiam iuxta ſuā doctrinam, ſcripturæ iudiciariam autoritatē, nimis anguſtis terminis definiuiſſent, ſtatuentes, eam eſſe iudicem illarum tantum cōtrouerſiarum, quæ inter ipſos orthodoxos mutuo poſſent oriri; cæterarum verò, quæ cum hæreticis eſſent, Iudicem non eſſe. Vnde rurſus à nobis ne petere quidem, ne dū impetrare poſſent, vt in controuerſiis, quæ inter nos & illos ſunt, ſcripturā eſſe propriè iudicem, admitteremus: Quandoquidem & illi nos, & nos multo magis illos pro hæreticis habemus: Ita prorſus, vt ſi hoc ſenſu duntaxat Scripturam eſſe voluerunt Iudicem earum controuerſiarum, quæ inter Chriſtianos mutuò eſſe poſſunt, iam planè victoria ante conflictum Catholicis cedere debeat. Deinde verò ne ſic quidē theſis aduerſariorum conſiſtere poſſet. Quandoquidem hæc controuerſia, cuius iudicem Eccleſiam admiſerunt Prædicātēs, etiā inter ipſoſmet orthodoxos eſſe poteſt, vt manifeſte patet, non ſolum ex veteri hiſtoria, atteſtante, non omniū omnino antiquorū hac de re ſemper eandem fuiſſe ſententiam; ſed etiam ex rebus geſtis noſtræ ætatis vſq; ad concilium Tridentinum, ex qua cōſtat, de quibuſdam libris verè canonicis ante concilium Tridētinum, à multis Catholicis fuiſſe dubitatum. Quid? quòd nec ipſi Lutherani inter ſe, nec Hunnius cum Hailbrunnero, imo ne ſecū ipſo quidem per omnia conſentit, vt alibi à me demonſtratum eſt.

Exam. Hunn. Relat. c. 18.

Atq; ex his quæ hactenus diximus facile pateſcunt innumeræ Hūnij calumniæ & mendacia, quæ circa hanc rem in ſuo Apologetico effatiuit, alibi Deo volente, diſtinctius numeranda.

Abſur-

XLIX. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus Præfationis.

SCripturam eſſe VNICAM normam doctrinæ, cultus, ac fidei Chriſtianæ, vt in prima ſua theſi apertè profeſſi ſunt; cum tamen Prædicantes tandem argumentis Catholicorum victi, fateri debuerint, eſſe ALIQVID FIDE DIVINA, infallibili & CATHOLICA neceſſariò credendum, quod ex ſola ſeu VNICA ſcriptura ſufficienter non colligatur, pag. 232. 288. Quo pacto etiam quoad alterum, atq; adeò quoad vtrumq; principale huius diſputationis punctum Catholici contra Prædicantes triumpharunt.

APOLOGIA.

IMpudentiſſimum ſimul & imprudentiſſimũ rurſus calumniatorem hîc agit Hunnius. Cum enim abſurdũ præcedens in præfatione Prædicantibus tributũ de falſi crimine accuſare non auderet, iam hoc falſi crimẽ appellat: Cum tamen ſi præcedens nullũ falſi crimen eſt, neq; hoc eſſe poſſit, quandoquidem vnũ ex alio ſequitur, ita vt ſi ſcriptura non eſt iudex omnium controuerſiarũ Religionis, ob eam quidẽ cauſam, quod aliquæ Religionis controuerſiæ ex ipſa ſcriptura diiudicari nõ poſſint, nõ poterit quoq; eſſe ipſa ſola & vnica norma doctrinæ Religionis. Vnde omnia illa teſtimonia, quibus à Prædicantibus præcedens abſurdum eſſe cõmiſſum oſtendimus, etiam ad hoc ipſum de iiſdem comprobandũ valent. Sed quanquam hæc ita ſint, nihilominus vt magis eluceſcat veritas, operæ preciũ erit, hæc ipſa duo pronũciata, in hoc abſurdo Prædicantibus tributa ſeparatim oſtendere. Igitur quod ad primũ dictũ attinet, eſt illud ex theſi prima aduerſariorũ manifeſtiſſimũ, quæ ſic ad verbũ ſonat. *Verbũ Dei Prophetarũ, Euangeliſtarũ, & Apoſtolorũ ſcriptis comprehenſum, DOCTRINÆ, CVLTVS, ac FIDEI Chriſtianæ, VNICAM, certam atq; infallibilem normam, regulam, ac menſuram, cui propter ipſum Deum authorem fides per ſe habenda ſit, indubitanter agnoſcimus.* Audit hîc Lector aſſeri, ſcripturam VNICAM NORMAM doctrinæ, cultus, Protoc. Monaſt. pag. 8.

Digitized by Google

& fidei. Nunc ad alterum pronunciatum oſtendendũ accedamus. Et primo quidem Hunnius in prima ſtatim ſeſſione, cum D. Gretſerus inter traditiones non ſcriptas protuliſſet etiam hanc, libros Moyſis eſſe Moyſis, eſſe canonicos, eſſe verbum Dei, mox his ei verbis reſpondit Hunnius, *libros Moſis eſſe Moſis*, CONCEDITVR, *eſſe hanc* TRADITIONEM TESTIMONIVM *Eccleſia Dei &c.* Et infra. *Non eſt*, inquit, *quaſtio de* TRADITIONIBVS, *de quibus vtrinque inter nos* CONVENIT, *ſed de his, ſecundum quas dogmata inter nos & inter vos controuerſa cognoſcenda & iudicanda ſunt. Alienè igitur hoc à vobis affertur.* Ita Hunnius, cuius hoc vnicum teſtimonium ad inſignem illam eiuſdem impudentiam retundendam ſufficiat.

Protoc. Monac. pag. 24.

Sed adhuc plura reſtant. Idem enim aſſerit Iac. Heilbronnerus Seſſ. 11. his verbis: *Aduerſarij potius videntur tergiuerſari, & auditoribus fucum facere, dum probaturi ſcripturam eſſe normam, & admittendas eſſe* TRADITIONES, *eam* TRADITIONEM, *afferunt* (de librorum ſcilicet canonicorum numero, ſiue authoritate) *de qua inter nos* PRORSVS NVLLA *eſt conuerſia.* Et rurſus pag. ſequenti: *Miror* inquit, *quod vrgeatur adeo hac traditio, cum de ea inter nos non ſit controuerſia. Vtrinque enim ſacram ſcripturam accipimus.*

Protoc. Monac. pag. 259.

III. Rurſus eadem pagina Hunnius circa eandem quæſtionem ſic loquitur: *Reſpondeo per diſtinctionem, quod pari quidem fide credendum ſit, hos vel illos libros eſſe canonicos, idq; non modo propter teſtificationem Eccleſia, ſed & propter interna critiria. Nihilominus verò non conficitur hinc, quod illa teſtificatio, licet neceſſario credenda,* SIT PARS QVÆDAM VERBI DIVINI, *ſiuè articulus & caput doctrina Chriſtiana.* Ex quibus verbis ita licet augumentari contra Hunnium: Nulla teſtificatio ſiue traditio, quæ non eſt pars verbi diuini, poteſt eſſe ἔγγραφος, hoc eſt, in ſacra ſcriptura contenta, vt ex terminis patet: Sed teſtificiatio ſiue traditio illa: *(Hos vel illos libros eſſe canonicos.)* eſt traditio ſiue teſtificatio talis, quæ non eſt pars verbi diuini, vt apertè faſſus eſt Hunnius: Ergò ſecundum Hunnium non poteſt eſſe ἔγγραφος ſcripta, ſiue ſcripturis contenta. Ac proinde cum alioquin faſſus ſit Hunnius, eam traditionem eſſe diuina fide credendam (quod negari nullo modo poteſt) con-

Protoc. Monac. pag. 260.

ſtat

Digitized by Google

ſtat, cũ admiſiſſe aliquid, diuina fide neceſſario credendum, quod tamen in ſcriptura ſacra non contineatur.

IV. Illud quoque in hoc genere efficax argumentum eſt, quod in Seſſ. 13. etſi non niſi poſt incredibilem vnius quaſi horæ tergiuerſationem, hac vnica qnæſtione torti, anne credendum ſit aliquid diuina & infallibili fide, quod in ſcriptura nõ cõtineatur, nec ex ea ſola euidenter deducatur, tandem confiteri ſunt coacti, eſſe omnino aliquid neceſſario credendum, tanquam hiſtoriam à Spiritu ſancto TRADITAM, & quidem fide infallibili, quod tamen nec cultus, nec dogmatis, nec articuli rationem habeat: Etſi poſtea cũ eos huius ſuæ tam apertæ confeſſionis puderet, in reuiſione Protocolli, pro voce TRADITAM ſuppoſuerunt vocem DESCRIPTAM, vt mox in capite ſequenti fiet manifeſtius. Protoc. Monac. pag. 288.

CAPVT XII.

DE VLTIMO ABSVRDO Prædicantium in præfatione relato, vbi euidentibus argumentis demonſtatur, Prædicantes eorumue adiutores, per turpiſsimum falſi crimen, pro voce TRADITAM, in Protocollo ſuppoſuiſſe vocem DESCRIPTAM.

I. ABSVRDVM PRÆDICANTIVM.

Textus præfationis.

QVOD Prædicantes, vt hoc ſuum probrum nonnihil tegerent, in Reuiſione Protocolli, pro voce TRADITAM ſuppoſuerunt DESCRIPTAM pag. 288.

APOLOGIA.

HOC ſine dubio falſi crimen appellare debuit Prædicans, ne haberetur ipſe cum ſuis falſator. Sed quia res vna parte horrendè iam cruciat Prædicantes, ita vt non ſolum Hunnius in ſuo Apologetico, & iam in examine præfationis, ſed etiam Prædicantes Neoburgenſes in ſui Protocolli appendice, & VVirtenbergenſes in quodam germanico ſcripto (quod Triumphum Ieſuiticum inſcripſerunt, nomine Reuiſorum Pſeudoeuangelicorũ, qui Protocolli reuiſioni interfuerunt edito, & Gauglerus quoq; in defenſione ſuæ germanicæ verſionis Protocolli, contra Andream Mõtanum, ei ſe oppoſuerint: Verum etiam per ſe grauiſſimi momenti eſt, ita profectò vt conſiderata materiæ grauitate, vel ſola ſufficiat non modo ad omnem fidem Prædicantibus abrogandam, ſed etiam, eorum fidem ſeu perfidiam penitus deteſtandam: Ideo ſuis ea momentis diligenter ponderáda eſt. Et quamuis hanc ipſiſſimam eſſe veritatem partim in præfatione, partim in mea Relatione parte. 3. c. 6. apertiſſimis argumentis ſit oſtenſum, ad quæ illi nihil hactenus reſpondere potuerunt: Iam tamen id diligentius adhuc & apertius commonſtrabo.

Protocol. Monac. pag. 288. Protoc. Lauing. pag. 385.

Eſt autem, vt res tota probè intelligatur, controuerſia de illis verbis Hunnij Seſſ. 13. prolatis: *Multoties reſponſum eſt, eſſe aliquid neceſſario credendum, tanquam hiſtoriam à ſpiritu Sancto DESCRIPTAM, & quidem fide infallibili, quod tamen nec cultus, nec dogmatis, nec articuli rationem habet.* Vbi circa verbum DESCRIPTAM triplex oritur quæſtio. Prima, an Hunnius in Colloquio dixerit DESCRIPTAM, an verò TRADITAM, atq; adeo an non primum vox illa DESCRIPTAM, pro voce TRADITAM, contra rei geſtæ & dictæ veritatem ſit ſubſtituta, quod nos certiſſimum eſſe affirmamus; Prædicantes autem aperte quidem fateri non volunt, etſi cũ adeo firmis argumentis comprobetur, etiam apertè negare non audent, vt infra oſtendetur. Secunda, annon hæc vox ſtudio & opera Prædicantium, ſiue partis aduerſæ ſubſtituta ſit, vt ſubſtitutam eſſe infra patebit, nec ipſis quidem Prædicantibus vſquequaq; abnuentibus. Tertia quæſtio eſt, an non hæc vox à Prædicantibus, vel eorum aſſeclis, proprij cõmodi cauſa, atq; adeò dolo malo fuerit ſuppoſita. Poteſt etiam quæri, vbinam hæc fraus, & qua ratione commiſſa

Digitized by Google

miſſa ſit, & quisnã in particulari ſit talis facinoris auctor. De ſingulis ordine agemus, ſed eò breuius de poſterioribus, quo minus in iis explicandis eſſe poteſt difficultatis, ſuppoſita primæ quæſtionis elucidatione.

Igitur, vt primam quæſtionem aggrediar, in Colloquio dictũ ab Hunio fuiſſe TRADITAM, non DESCRIPTAM, ſed hanc vocem primùm poſtea fuiſſe ſuppoſitam, his argumentis validiſſimè comprobatur. Primo quidem id demonſtratur ex authentico Protocollo Bauarico, quod ab vtriuſq; partis Notarijs & Reuiſoribus omnibus numero decem, propria manu ſubſcriptum, ſigilliſq; ſingulorum appreſſis inuiolabiliter cõfirmatum eſt. In eo enim vox illa, TRADITAM, leui litura ſic deleta reperitur, vt nihilominus euidenter à quolibet legi poſſit: Eius verò loco ſuppoſita inuenitur vox DESCRIPTAM, idq; ſine vllo alterius lituræ vel raſuræ indicio. Et quamuis ad fidem hac de re faciendam, apud quoslibet prudentes & cordatos abundè ſufficiat ipſa præfatio Sereniſſimi Bauariæ Ducis Maximiliani conſenſu & authoritate edita, & Protocollo præfixa, abſq; vllo alio argumento vel inſtrumento; tamẽ vt Calumniatorum ora validiùs obſtruerentur, adeoque ea res, vtpote maximi momenti, & vt ſpes eſt, in boni communis vtilitatem plurimùm redundatura, omni fide quam teſtatiſſima redderetur, idcircò eius Serenitati corã ipſe humillimè ſupplicaui, vt ob commune bonũ, publicum hac de re Inſtrumentũ benigniſſimè confici mandaret, quò illud non ſolum quibus opus eſſet oſtendi, ſed etiam publicis typis mandatũ omnium oculis obiici, & Calumniatorum, quorũ ſe maximus offerret numerus, maledictis opponi poſſet. Quam etiam petitionem cum eius Serenitas pro ſuo ergà bonũ cõmune propenſiſſimo ſtudio mox clementiſſima voluntate ratam habuiſſet; idcirco cura & induſtria Nobilis, Magnifici, & ampliſſimi viri Domini Ioachimi Donrſpergeri Iuris vtriuſque Doctoris, Sereniſſimiq; Bauariæ Ducis ſupremi Cãcellarij, aduocatis publicis Notariis viris integerrimis ac doctiſſimis, teſtibuſque omni exceptione maioribus aſcitis, hoc inſtrumentũ deſuper confectũ, mihiq; ad eũ, quem dixi, finẽ traditũ eſt, quod proinde hoc loco de verbo ad verbũ inſerendũ duxi: & ſic ſe habet.

In

IN Nomine Domini Amen. Notum ſit vniuerſis ac ſingulis, præſens hoc Inſtrumentum viſuris, lecturis, ſeu legi audituris, & pateat euidenter, Quod anno à Natiuitate Domini ac Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti M. DCIII. indictione prima, die verò vigeſima quinta mẽſis Februarij, hora octaua, vel circiter, ante meridiem, Pontificatus S.mi D. N. Domini Clementis VIII. PP. anno vndecimo, coram me Notario publico infra ſcripto, in præſentia fide dignorum teſtium, ſpecialiter ad hoc rogatorum ac vocatorum, perſonaliter conſtitutus fuit Magnificus, Nobilis, & Ampliſſimus vir, Dominus Ioachimus Donrſperger, Ser.mi Principis ac D. Domini Maximiliani Comitis Palatini Rheni, Vtriuſq; Bauariæ Ducis, Dõini mei clementiſſimi Conſiliarius ſecretus, ſupremus Cancellarius, & Præfectus in Marquartſtain &c. atq; ex clementiſſima voluntate & authoritate Seren.tis ſuæ viua voce expoſuit, nec nõ à me Notario publico requiſiuit, quatenus in quadam cõtrouerſia, quæ circa

circa Protocollum colloquii Ratisbonenſis Anno ſexcenteſimo primo habiti, exorta eſt, ſpeciatim verò quoad voculas TRADITAM, & Deſcriptam, in illa oratione Ægidij Hunnij, Prædicantis Lutherani, quæ habetur ſeſſione decima tertia, & ſic incipit: *Multoties reſponſum eſt* &c. ipſummet authenticum, ac vtriusque partis Reuiſorum nominibus & ſigillis confirmatum Protocollum, quod in Archiuo ſuæ Serenitatis inuiolatè aſſeruatur, inſpicere, nec non de rei veritate per vnum vel plura, publicum publicáue Inſtrumenta teſtari vellem. Qua requiſitione debito modo admiſſa, & inſpectione præmemorati authentici Protocolli fol. 575. cum omni diligentia facta, manifeſtè deprehendi, in eo loco prius ſcriptum fuiſſe vocabulum TRADITAM, iam verò vocula TRADITAM, leui litura (vt tamen nihilominus facilè legi poſſet) deleta, eius loco ſuppoſitum haberi vocabulum DESCRIPTAM; idq; quantum animaduertere licuit, ſine vllo alterius lituræ aut raſuræ vitio. Acta ſunt hæc Monachij in Ca-

ſtro Nouo, & quidem in interiori Conclaui Cancellariæ ſecretæ, anno Domini, Indictione, Pontificatu, die, & hora ſupra ſcriptis, præſentibus ibidem Nobilibus, Clariſſimiſque viris Chriſtophoro Gevvaldo, & Ioanne Simone VVangereccio in Gersdorf, Iur. Vtr. Doctoribus ac ſuæ Serenit. Conſiliarijs Aulicis, teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter vocatis atque rogatis.

Ego IOANNES PFRONTNER Füeſſenſis Auguſtanæ Diæceſis, V. I. Doctor, publicus Apoſtolica & Cæſarca authoritatibus, Romæ, ac in Camera Imperiali Spiræ, approbatus & immatriculatus Notarius, Nunc temporis ſupremi Ducalis Aulæ Iudicij Monachij iuratus Cauſarum Patronus &c. Quia ſupradictis præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ratione collationis fierent & agerentur, vna cum prænominatis Dominis teſtibus, & adiuncto Domino Notario hic ſubſcripto, præſens interfui: Ideò hoc publicum Inſtrumentum, manu equidem alterius fideliter ſcriptum, ma-

nu

Ego OSVVALDVS STADLERVS, Artium & Philoſophiæ Magiſter, Laicus, Friſingenſis Diæceſis, ac Ciuis Monacenſis Apoſtolica & Imperiali authoritate publicus, & in Archiuo Romani Collegij immatriculatus Notarius, Atteſtor me præmiſſis omnibus, vna cum ſupra nominatis Dominis Teſtibus interfuiſſe, & vidiſſe, quod loco & tempore præfatis, ſubſcriptus Dominus Notarius clementer requiſitus, Protocollum authenticum & ſigillatũ ſuis manibus tenuit, loco ſupradicto diligẽter inſpexit, in eodemq́; vocẽ, TRADITAM, leui litura deletã, vocem verò, DESCRIPTAM,

ſup-

Digitized by Google

nu propria ſubſcripſi, ſignaui & publicaui, in fidem & teſtimonium præmiſſorum omnium, Ad hoc ſpecialiter clementer vocatus & requiſitus.

Signvm Notariatvs.

ſuppoſitam inuenit. Quas quidẽ voces, prædicto modo, Protocollo cõtineri, aliaq́ omnia, ſic vt præmittitur, ritè ac legitimè fieri, vidi & audiui. Ideò præſens Inſtrumentum etiam ſubſcripſi; in maiorem fidem præmiſſorũ clementer etiam requiſitus.

Signvm Notariatvs.

Cum ergo ex hoc publico inſtrumento ſit teſtatiſſimum, in authentico illo Protocollo Bauarico, prius ſcriptum fuiſſe vocem Traditam, deinde verò vocem Descriptam eius loco ſuppoſitam, idq; ſine vllo alterius raſuræ, lituræ, vel vitij indicio; certe hinc liquidiſſimè colligitur, ante Reuiſionem in eo Protocollo fuiſſe ſcriptam vocem Traditam. Audeat, ſi cui ex Prædicantibus lubet, rem hanc tanta euidentia comprobatam in poſterum negare amplius.

Secundo verò idipſum demonſtratur ex Protocollo, quod ſeparatim in ipſo Colloquio ex parte Sereniſſimi Bauariæ Ducis, tanquam publicus Colloquij Notarius conſcripſit clariſſimus vir Leonhardus Treittvvein, vtriuſque I. Doctor, Conſiliarius Epiſcopalis & Syndicus in cathedrali Eccleſia Ratisbonæ. In quo vox illa Traditam ſine vlla litura vel raſura adhuc legitur. Neque, ſine dubio, aliter ſcripſerunt alij Notarij, etſi mihi eorum exemplaria videre non licuit.

Tertio idem colligitur ex antecedentibus eiuſdem loci. Conſtat enim eo loco minimè controuerſum fuiſſe, an aliquid neceſſario credendum ſit, tanquam hiſtoria à Spiritu ſancto *deſcripta*, quod tamen nec cultus, nec dogmatis, nec articuli rationem habeat: ſed hoc ab initio Seſſionis 13. perpetuo à nobis quæſitũ fuiſſe, an Eccleſia poſſit traditiones aliquas non ſcriptas, quæ ad cultum aut fidẽ pertineant, neceſſariò obſeruãdas proponere: Seu ꝙ idẽ eſt, an aliquid fide infallibili credendũ ſit (ſiue vocetur articu-

Digitized by Google

lus fidei ſiue non ita vocetur) quod nec in Scriptura expreſsè contineatur, nec ex Scriptura ſola euidenter deducatur. Hæc quæſtio tunc vrgebatur, nec obiter tantum, ſed ita à noſtris conſtanter, vt cum aduerſarij non aliter ab eâ quæſtione, quàm ab expanſo, & eminus conſpecto reti ſæpius agitatæ vulpes quaqua verſum diffugere niterentur: non minus, quàm tredecim iteratis vicibus Prædicantibus fuerit ingerenda. Et quia non ſolum ad noſtrū inſtitutum peroportunum eſt, ſcire quid vtrinq; circa eam quæſtionem actum ſit: Sed etiam per ſe Lectori commodum accidere poteſt, pudendam eius loci Prædicantium tergiuerſationem perſpectam habere, vt vel hinc intelligat, quanta Prædicantium animis fiducia ſedeat, ſua quæ alioqui tanto applauſu jactant, pronunciata defendendi, operæ precium eſſe duxi, vtriuſq; partis dicta, circa hanc quæſtionem ex Protocollo deſcripta reddere.

Proto. Monac. pag. 285. Cum igitur initio Seſſionis 13. propoſito à me argumento, ad comprobandam Eccleſiaſtici judicij authoritatem, Iacobus Hailbronnerus reſpondentis officium aſſumens, inter cætera præfaretur, eas tantum traditiones hactenus à nobis in medium prolatas fuiſſe, de quibus nulla inter nos eſſet controuerſia, hoc illi à me exprobatum eſt, cùm probè ſciret Prædicans, illam ipſam præcipuam nobis eſſe de eiuſmodi traditionibus controuerſiam, an videlicet quippiam in materia Religionis extra Scripturam neceſſario aut credendum, aut obſeruandum eſſet; cuius quæſtionis affirmatiuam partem nos eiuſmodi traditionum exemplis euincere Deut. 4. 5. 12. niteremur, cum ipſi negatiuam ex Deuteronomij locis probare operoſiſſimè conati fuiſſent. Quod ſi tamen (aiebam) hoc ita non eſſet, tunc ergo vt ſuam mentem denuò panderent, & palam ſine tergiuerſatione edicerent, annè traditiones aliquas non ſcriptas, quæ ad cultum aut fidem pertineant, tanquam neceſſarias ex Eccleſiæ conſtitutione, recipere & obſeruare liceat. Ad hoc ſatis prolixè reſpondit Hailbronnerus, & ſumma eſt: An ex traditionibus allatis *ſequatur, ſcripturam ſacram quoad dogmata nō eſſe judicem, & normam, auditoribus relinqui iudicandum, nec opus eſſe repetere* Sed quia de dogmatibus præcisè non erat quæſtio. Sed generatim de rebus ad cultum, & fidem pertinentibus, ideo his verbis eius tergiuer-

giuer-

giuerſationem notaui: *Tergiuerſatur dominus mirum in modũ, & non audet reſpondere ad propoſitam quæſtionem. Hoc dicas peto, an Eccleſia poſſit aliquas traditiones ad cultũ pertinentes credendas proponere, quæ nec in ſcriptura expreſſè extent, nec inde euidenter deduci poſſint. Ad hoc reſpondeat diſertè:* Reſpondit Iacobus Hailbronnerus. *De his omnibus his diebus ſatis dictum, quod Eccleſia non habeat poteſtatem nouos articulos circa fidem & cultum conſtituendi.* Sed quia de articulis non erat quæſtio, ſed generatim de re quacunque extra Scripturam credenda, his verbis hanc ſecundam eius tergiuerſationem acrius notaui: *Video quam verſipelles ſitis: non credo veſtris dictis: Intelligunt omnes fraudem,* (ſcilicet tergiuerſationis & mutati controuerſiæ ſtatus.) *Dicat mihi diſertè, & non vtatur terminis ſuis fallacibus, an aliquid fide infallibili credendum ſit, ſiue vocetur articulus fidei, ſiue non ſit, quod nec in Scriptura expreſſè contineatur, nec ex ſcriptura, ſola euidenter deducatur.* Videt hic Lector, ſemper vrgeri illam quæſtionem, non de hiſtoria aliqua ſiue traditione ſcripta, ſed de non ſcripta. At fruſtra. Tertio enim iam tergiuerſatur Hailbronnerus his verbis. *Ad illud (aliquid) reſpondeo, quod ibi lateat aliqua amphibologia.* Dixi ego: *Omnino non. Reſpondeas mihi diſertè. Vos vultis iterum tergiuerſari, & fallere?* Reſpondit Iacobus Hailbronnerus. *Ne me interpelles, quod in legibus eſt prohibitum.* Dixi. *Nunquam interpellabo, ſi ad formam* (hoc eſt ad propoſitam quæſtionem) *reſponderitis. Et quis poſſet alias cum eiuſmodi hominibus diſputare, ne quidem Chriſtus ipſe.* Subuenit hic Hailbronnero Hunnius: *Nudiuſtertius,* inquit, *antemeridiana Seſſione diſtinximus inter dogmata, & articulos fidei, & inter hiſtorias biblicas. Quod attinet articulos Chriſtianæ Religionis, nullos licet effingere, vel ſub prætextu authoritatis Eccleſiæ præcipere, & proponere populo Chriſtiano. Quod autem omnia quæ tenemur credere de fide, ſint articuli fidei, & dogmata, id verò ex indubitatis fundamentis negatum eſt, & declarata res, exemplo hiſtoriæ Thamar.* Sed quia hæc mera tergiuerſatio erat, non ſolum quod iam minimè controuerſum eſſet, an omnia quæ tenemur credere, ſint articuli fidei & dogmata, ſed etiã quia in diſtinctione, quam facere occipiebat Prædicans, principale diſtinctionis membrum callide prætermittebat, aſſerens videlicet

Protoc. Monac. pag. 285.

Prot. Monach. pag. 286.

cet ſolum nulla dogmata, & articulos nullos extra Scripturam credendos, ſed non explicans, an aliquid aliud (ſiue articulus aut dogma eſſet, ſiue non eſſet) extra Scripturam neceſſario credendum ſit, quod tamen in mea Quæſtione vnicè poſtulabatur: Idcirco rurſus his verbis hanc quintam tergiuerſationem Prædicantium notaui. *Nihil ad rem. Nonne diſertè excludo eam diſtinctionem, dicens, ſiue articulus fidei, ſiue non articulus? Vultis iterum tergiuerſari & fallere?* Reſpondit Hunnius; *Tu facis mihi iniuriam; & ad Sereniſſimum Ducem Bauariæ conuerſus, ait: Sereniſſime & Illuſtriſſime Princeps affecti ſumus iniuria, dum aliquoties vocati ſumus verſipelles.* Sereniſſimus Bauariæ Dux dixit. *Vos appellaſtis Romanum Pontificem Antichriſtum, quæ eſt iniuria inſignis & clariſſima, & hoc nunquam probabitis.* Reſpondit Hunnius pro ſua impudentia. *Sereniſſime & illuſtriſſime Princeps, oportet ſcapham ſcapham, ligonem ligonem appellare, præſertim in actu Confeſſionis: & in noſtris Eccleſiis* (vbi nimirum Prædicantibus fas atque nefas idem eſt) *id non eſt iniuria.* Sereniſſimus Bauariæ Dux dixit; *Imo eſt inſignis iniuria, quæ redundat in omnes Catholicos.* Hac digreſſione finita poſt ſextam tergiuerſationem, ad propoſitum rediens dixi: *Quæro, an aliquid credendum ſit fide infallibili, quod nec in Scriptura extet expreſsè, nec ex ea euidenter deducatur?* Vbi rurſus videt Lector eandem ſemper quæſtionem, non de hiſtoria ſcripta, ſed de traditione aliqua non ſcripta iterari. Sed rurſus tergiuerſando Hunnius ait; *Per diſtinctionem* (tergiuerſationem ſcilicet illam, de qua ſuperius) *reſponſum eſt, & diſtinctio noſtra probata, & aduerſarius ad abſurdum* (abſurdi ſcilicet Prædicantis iudicio) *deductus, vt aſſereret, quod Thobias canem habuerit caudam mouentem, eſſe articulum fidei.* Sed reſpondi; *Si vultis diſtinguere, rectè & ſuo loco diſtinguite, iam categoricè reſpondete. Et facite hoc in gratiam auditorum; quia ego excludo omnem veſtram diſtinctionem. Categoricè igitur reſpondendum eſt.* Quia videlicet Quæſtio illa generalis erat, anne aliquid omnino neceſſario credendum eſſet extra Scripturam, ſiue eſſet articulus, ſiue non.

Protoc. Monac. pag. 187.

Sed ſeptimæ tergiuerſationi annectit Prædicans octauam. *Diſtinctio illa noſtra* (extra propoſitum allata, & quoad alterum

mem-

membrum nunquam explicata) *ſolido, & immoto fundamento ſuperſtructa eſt, quod oſtenſum eſt exemplis modo allegatis. Si verò volet Dominus Doctor; vt progrediamur ad argumenta claſſis tertiæ nobis non diſplicet.* Vides Lector, quam libenter ab illa quæſtione diffugeret Hunnius? Sed reſpondi: *Non progredior, donec ad propoſitam quæſtionem reſpondeas. Quæſo da gloriam DEO; & reſponde diſertè, vtrum ſit aliquid præter Scripturam credendum ſiue dogma ſit, ſiue non, ſiue A. ſiue B. ſiue C. ſiue quomodocunque vocetur, dummodo ALIQVID ſit?*

Audis lector, iam quarto eandem quæſtionem ſemper explicari. Sed Hunnius iam nona vice tergiuerſando reſpondet: *Oſtende tu, quod aliquis Patrum hiſtoriam aliquam ſeu particulam hiſtoriæ vocauerit dogma, ſiue articulum fidei.* Deus bone Hunni, vbi eſt iam tuum illud præceptum Apoſtolicum, cum in prima Seſſione diceres. *Petrus ait, quouis tempore reddendam eſſe rationem fidei,* ſaltem interroganti? Eſtne hoc omni tempore rationem interroganti reddere; iam nono interrogatum ad propoſitam quæſtionem nihil reſpondere nec poſſe, nec velle? Reſponſum ergo eſt Hunnio. *Dicis igitur, quod aliquid fide infallibili credendum ſit, etiamſi non habeat rationem dogmatis, nec ita vocetur,* (modo tamen eiuſmodi ſit) *quod nec in Scriptura extet, nec inde euidenter deducatur.* Protoc Monast pag. 288.

Audis Lector, ſemper quæſtionem de aliquo extra Scripturam credendo vrgeri. Sed Hunnius adhuc nihilo magis hoc alterum ſuæ diſtinctionis membrum, de quo omnis quæſtio erat, explicat: ſed decima tergiuerſatione rurſus ab omni propoſito alienam quæſtionem ingerens reſpondit: *Probet dominus, quod particulæ hiſtoriarum biblicarum, appellatæ ſint ab vllo ſcriptore Eccleſiaſtico dogmata Religionis ſeu articuli fidei.* Sed reſpondi: *Nihil ad rem; nihil ad formam. Reſponde prius ad meam quæſtionem, dicas mihi diſertè: & tunc videbis quod aliquid ſit præter Scripturam credendum. Da gloriam DEO, quæſo te.* Reſpondit Hunnius; *Quod aliquid ſub ratione dogmatis, vel cultus, vel articuli fidei, quod in Scriptura vel expreſsè non extet, vel ex ea bona conſequentia deduci ne-*

Digitized by Google

ci nequit, credendum ſit fide infallibili, iterum atque iterum negamus. Multa enim in Biblicis hiſtoriis neceſſario credenda ſunt propter authorem Spiritum ſanctum, quæ tamen nec Patres, nec vniuerſa antiquitas, nec vllus Scriptorum Eccleſiaſticorum (quod eſt falſum *) vnquam dogmata, vel articulos, vel cultus appellare auſus fuit, quod demonſtrari poſſet multis, inter cætera exemplo Anæ inuentoris mulorum in deſerto. Geneſis 36. Num enim quæſo hæc hiſtoriola eſt articulus fidei?*

Sed quia iterum nequiter hic diſſimulabat Prædicans alterum diſtinctionis membrum, de quo ſolo erat quæſtio, rurſus eum vrſi his verbis: *Oro per Deum vt categoricè reſpondeas. Non quæro de dogmatibus, ſed Quomodocunque aliquid vocetur: Qualecunque illi nomen detur.* Reſpondit Hunnius, iam tertiadecima tergiuerſatione. *Relinquo iudicium omnibus auditoribus.* Sed adhuc à tergo fugienti inſtiti. *Nihil ad rem, ſed reſponde obſecro categoricè, an aliquid ſit credendum fide infallibili, quod nec in Scriptura apertè extet, nec ex ea ſola euidenter deducatur, detur illi nomen quodcunque, vel A. B. aut C.*

Vbi cum ſeptimo ſemper eadem à me quæſtio fuiſſet inculcata, hic iam tandem ſubſequitur illa reſponſio Hunnii, de qua inter nos eſt controuerſia. Nam ſic in Protocollo iam reſponſum legitur: *Multoties reſponſum eſt* (hoc ne ſit mendacium, ſi particula TRADITAM legatur, ad præcedentes Seſſiones referendum erit) *eſſe aliquid neceſſariò credendum, tanquam hiſtoriam à Spiritu ſancto DESCRIPTAM* (nos TRADITAM dictum eſſe probamus) *& quidem fide infallibili, quod tamen nec cultus, nec dogmatis, nec articuli rationem habet.* Vbi certe manifeſtum eſt, Hunnium ad propoſitam quæſtionem nihil penitus dixiſſe, ſi vox DESCRIPTAM legatur: At ſi TRADITAM; tunc faſſum eſſe aliquid (vt nos volebamus) *traditum*, atque adeo non ſcriptum eſſe neceſſario credendum.

Atque hæc erat occaſio, hic proceſſus & ordo huius totius non tam diſputationis, quam fœdiſſimæ tergiuerſationis, quæ ſi vel ſola in Protocollo extaret, cuique prudenti ſatis eſſe poſſet, ſaltem ad dubitationem (ſi non etiam ad deſperationem) de Prædicantium cauſa ſuſcipiẽdam. Ad propoſitum ſufficit, hoc iam demon-

Digitized by Google

monſtraſſe, omnia antecedentia indicare, ab Hunnio dicendum fuiſſe TRADITAM, non DESCRIPTAM: quin adeo etiam ab Hunnio ſic dictum re ipſa fuiſſe; niſi forte Hunnius fateatur, ſe nec poſt decimam quidem, & tertiam tergiuerſationẽ reſpondiſſe ad propoſitam ſibi Quæſtionem.

Sed quarto hoc idem luce clarius probatur ex conſequentibus, ex quibus patet nos eiuſmodi reſponſionem aduerſariorum (audita procul dubio voce TRADITAM) ratam & gratam habuiſſe, eiſque idcircò, quaſi in principali cõtrouerſiæ puncto deuictis inſultaſſe. Sic enim accepto illo Hunnij reſponſo verba mea in Protocollo habent: *RECTE. Dixerant autem Domini non eſſe hoc controuerſum, ſed an aliquid ſit addendum (*Scripturæ ſcilicet*) tanquam dogma, ſeu articulus fidei. Quod imprimis diſertè pugnat contra omnia veſtra dicta, quibus cõuincere volebatis, nihil omnino debere credi, quod in ſcriptura diſertè non extet; Jam vero corruit omnis impetus, & ſtrues argumentorum veſtrorum ſi vel vnum aliquid ſit credendum, quod nec extet in ſcriptura, nec inde ſolum euidenter deducatur : VT IAM CONCESSVM EST. Qua de re iudicium iam relinquo auditoribus.* Vides lector, me reſponſo illo accepto dixiſſe: *Recte.* Cum tamẽ ſi vſurpata fuiſſet particula DESCRIPTAM, ego illud haud dubie, (vt antea, multoties feceram) tanquam meram tergiuerſationẽ fuiſſem reiecturus. Audis deinde, quod plus eſt, me percepto eo reſponſo, dixiſſe, iam ab Aduerſarijs *conceſſum fuiſſe, ALIQVID credendum eſſe, quod nec in ſcriptura extet, nec ex ea ſolum euidenter deducatur.* Audis demum me hinc inſultaſſe omnibus argumentis aduerſariorum, pro ſola & vnica ſcripturæ norma allatis. Vt omnino lector aliter cogitare non poſſit, quam à nobis auditam, atq; adeò à Prædicantibus vſurpatam fuiſſe vocem TRADITAM, non DESCRIPTAM. Protoc Monac. pag. 288.

Ne autem fortaſſe Lector ſuſpicetur, contra eiuſmodi ratihabitionem noſtram proteſtatos fuiſſe Prædicantes, audiat, quid reſponderit Hunnius: *Finaliter*, inquit, *concludo, quod non ſit aliquid in cultu, & in articulis, & in dogmatibus credendum, quod non vel expreſſè contineatur in ſcriptura, vel inde per bonam concluſionẽ pe-*

Digitized by Google

conſequentiam deduci queat. In qua noſtra finali concluſione penitus acquieſcimus, & iudicium committimus Deo, & Eccleſia ipſius. Ita Hunnius, qui vt omnes vident, nullum verbum de proteſtatione facit, neque negat in hac ſua finali concluſione, quin aliquid tandem in materia Religionis ſit credendum extra Scripturam, ſed ſolum hoc negat, de quibuſdam ſpecialibus fidei obiectis, quæ videlicet aut cultum aliquem contineant, aut articulũ ſeu dogma fidei; cum tamen ipſimet Prædicantes tum hìc, tum in præcedentibus ſeſſionib', ſæpius alioqui dixerint, multa adhuc alia eſſe credenda, quæ nec eſſent cultus, nec dogmata, vel articuli fidei. Quocirca cũ aduerſariũ noſtræ ratihabitioni minime aduerſantẽ aduerterem, ego quoque totum hoc negocium his verbis finaliter concluſi: *Ego ſimiliter Deo ipſi, Eccleſia, & toti auditorio committo iudicium, quod ſcilicet illa loca Deut. 4.5. & 12. male & contra ſuam conſcientiam adduxerit aduerſarius, dum vniuerſaliter probare conatus fuit, nihil credendum, niſi quod in ſcriptura extet, aut inde euidenter deducatur. Qua in re ad Protocollũ me refero.* Atque ita omnis hac de re contentio vtrinque ceſſauit. Et verò aduerſarios alioqui vniuerſaliter aſſeruiſſe, atque adeo etiam probare debuiſſe, nihil extra Scripturam credendum eſſe, ſatis ex illorum theſi prima ſuperius oſtenſum eſt.

Vid. cap. præced.

Cap. præced.

Quinto hoc ipſum etiam comprobatur ex iis, quæ Prædicantes iam antea in ſuperioribus ſeſſionibus conceſſerant. Cum enim, vt ſupra oſtenſum eſt, iam ſæpius admiſiſſent, traditiones quaſdam non ſcriptas (quas *hiſtoricas* vocabant) diuina & infallibili fide credendas, non potuerunt ſane negare, neceſſario credendum aliquid traditum, non ſcriptum, niſi ſua ipſi reſponſa retractare voluiſſent. Quod ſi hoc vlla ratione negare potuiſſent, quam illis pronum, imo verò etiam neceſſarium erat facere, toties hac ipſa de re ſuam ſententiam edicere iuſſis?

Vid. cap. præced.

Sextò demum hoc confirmatur ex ipſamet confeſſione aduerſariorum. Licet enim eos hæc res magnoperè torqueat, nec omnino conſtanter fateantur, à ſe eiuſmodi vocem eſſe ſuppoſitam, multis tamen modis idipſum in ſuis ſcriptis tacitè confitentur; certè conſtanter non negant, quod eſt certiſſimum argumentum

Digitized by Google

gumentum, eos in hac re ſibi male conſcios eſſe. Primo enim Prædicantes Neoburgenſes in ſui Protocolli appendice, quam ſuo & ſuorum Collegarum, qui Colloquio interfuerunt, nomine conſcripſerunt, cum obiectam hanc ſibi in præfatione noſtra priore (quam alioqui refutandam ſumpſerant) turpiſſimam fraudem legerent, tantum abeſt vt factum negarent, vt id etiam non obſcure faterentur. Sic enim planè habet illorum reſponſum: *De voce, traditam, aut deſcriptam, cum pagina Monacenſes*, (intelligunt etiam Protocollum Bauaricum authenticum à ſe ſubſcriptum, & obſignatum) *in promptu non ſint, non eſt, quod moneamus: niſi quod falſò noſtratibus tribuitur*: (tribuebatur autem in ea præfatione ſolum immutatio facta circa voces illas TRADITAM, & DESCRIPTAM) *ob certum aliquod commodum, VNAM aut ALTERAM VOCEM fuiſſe immutatam: hacq; querela non tam noſtrates, qui in toto illo negocio candidè* (ſcilicet) *& apertè egerunt, quàm ſuos quoque Reuiſores ac Notarios accuſant.* At quod de Notariis & Reuiſoribus noſtris dicunt, infra diluetur: hîc ſatis eſt aduertere, eos non negare, voces de quibus agitur, inter ſe *commutatas*, ſed duntaxat aſſerere, eiuſmodi commutationem ob nullum certum ſuum commodum factam eſſe. At profectò niſi Prædicantes ipſamet conſcientia criminis reos teneret, factum hoc ab eis negari, non excuſari intentionis prætextu oportebat. Iam nos hanc minimè obſcuram confeſſionem libenter acceptamus, & velut euidens indicium malæ conſcientiæ aduerſariis, fidenter obiicimus. Nam ſi ſecundum regulam iuris, *qui tacet, conſentire videtur*, quanto magis ille, qui cum ad obiectum crimen reſpondet, non negat, ſed intentionis prætextu excuſare conatur.

Append. Protoc. Lauing. lat.

Deinde non minorem tacitæ confeſſionis vim obtinet illud, quod in ſuo Apologetico ad hoc crimen ſibi obiectum reſpondit Hunnius. Cum enim id in mea relatione verbis grauiſſimis, vt par erat, Prædicantibus exprobratum diluere aggrederetur, hanc totam turpiſſimi, multiſque argumentis probati criminis accuſationem in iocum vertit. *Ridiculus eſt*, inquit, *TANNERVS in eo, quod nodum in ſcirpo quærens, & in aëre papiliones inſequens*

Apolog. Hunn. pag. 488.

ſequens

ſequens, & ex muſca Elephantem faciens, cum admiratione mirifica refert. Rem miram (ita enim mea ſonant verba) *quam niſi euidentiſſimis ſignis compertam, nemo dicere poſſet, nemo credere. Quid tandem* (inquit Hunnius) *illud Tannere? quæſumus ne nos cela tantum prodigium. Num forte mons peperit? &c.* In fine verò etiam aliquid germanicè ludens hoc epiphonemate rem concludit, **ſie ſuchen ſo gnaw wie ein Mauſs in einem lehren Brottkorb/vnnd ſünden doch nichts.** Interim nullo verbo apertè factum negare audet: tantum dicit, nō poſſe malæ fidei accuſari *Reuiſores ſuos, niſi etiam Catholici ſtatuantur eidem crimini confines.* Deinde oſtendere conatur, nullam potuiſſe eiuſmodi mutationis eſſe cauſam, quod tamen ſatis ex ſupradictis patet, falſum eſſe. Hæc cum ita ſint; cum res hæc adeo tibi antea ridicula videretur & murē parturiēti mōti conferenda, quî fit Hunni, vt iam primum velut contra lernam depugnans tanta contentione obluctеris, & in examine tuo adeo ſerò ſimul ac ſeriò exclames: crimen falſi in præfatione commiſſum eſſe; *impium Suitam falſi crimen* vobis falsò *impoſuiſſe.* An iam primum parturientis montis, aut triplicis lunæ prodigium, hoc eſt fœdiſſimi criminis nota Hunnio conſpecta eſt? atque ita quidem abominabile viſum, vt etiam Tubingenſes Prædicantes in ſuo illo ſcripto germanico, quod nomine, & in cauſa Reuiſorum ac Notariorum Pſeudoeuangelicæ partis, principaliter ad expurgationem huius criminis ediderunt, ſubſidio occurrere, & quaſi deficienti Hunnio manus auxiliarias admouere coacti fuerint? ſed fruſtra iam Æthiopē lauant. Nimis tardè iam (craſſam & palpabilem calumniam) exclamant, quando & Neoburgenſes antea factum non negabant; & Hunnius id in Tannero non aliter, quàm papilionum inſectationem interpretatus eſt. Quid? quod etiam ipſimet Tubingenſes ſatis apertè fatentur, prius in Protocollo noſtro ſcriptum TRADITAM, & poſtea in reuiſione Protocolli ſuæ partis ſtudio ſuppoſitam fuiſſe voculam DESCRIPTAM. Aiunt enim, *nihil referre, quod pars aduerſa in ſuo Protocollo initio habere potuerit vocem* TRADITAM, *Eius enim Reuiſores poſtea tantum comperiſſe, vt eiuſmodi voculam prudenter ac ſcienter deleri, eiuſque loco alteram vocem* DESCRIPTAM *propoſito conuenientem ſubſtitui*

Triumph. Ieſuit. pag. 61, & 62.

ſtitui ſinerent. In eundem ſenſum reſpondent, ad alterum noſtrum argumentum, ex ſingulari Protocollo Bauarici Notarij deſumptũ. Aiunt enim; *Parum itidem referre, tametſi aduerſæ partis Notarij vnus, vel vterq́; vocem* TRADITAM *in ſuo exemplari habuiſſent. Nam etiam trãs flumen* (Jenſeit deß Bachs ex ſua nimirum parte) *fuiſſe homines, qui oculos, aures, calamos, atramentum, & chartam habuerint, vt tam ex Protocollis Notariorum, quàm ex contextu intelligere poſſent, atrum ne an album,* TRADITAM, *an* DESCRIPTAM *legendum eſſet.* Vbi vides Lector, fateri eos ex ſua parte, ab hominibus (ſo jenſeit des Bachs geweſen) animaduerſum eſſe, DESCRIPTAM, non TRADITAM legendum fuiſſe, atq; adeo fuiſſe prius in Protocollo ſcriptum TRADITAM, non DESCRIPTAM: etſi ſimul turpiſſimè mẽtiantur, ex contextu eos collegiſſe *deſcriptam*, non *traditam* eſſe legendum: niſi forte hoc ideo dicunt: quia ex contextu animaduertebant, nulla ratione à ſe, ſalua cauſa ſua, tolerari poſſe vocem *Traditam*; ſed neceſſariò per fas & nefas ſubſtituendã eſſe vocem *Deſcriptam.* Quod veriſſimum eſt. Quod ad ſecundum attinet; num videlicet Prædicantium opera hæc vocum commutatio facta ſit; Iam ex dictis, & ab ipſiſmet Prædicantibus conceſſis patet, Prædicantium, ſiue aduerſæ partis ſtudio eiuſmodi vocum permutationem factam. Et certe de Catholicis nulla hic poteſt eſſe ſuſpicio; ſicut ex aduerſariis, quantumuis impudens, eos nemo hactenus hac de re ſuſpectos habere auſus fuit; quandoquidẽ vox illa TRADITAM Catholicorum parti adeò ſeruit, vt etiam victoriã quoad principale totius diſputatiõis punctũ eis tranſſcribat. Cur ergo eam expunxiſſent? At è contra vox DESCRIPTAM nihil penitus emolumenti poterat importare. Quanquã iam cognita fraude, plus prodeſt hæc ipſa aduerſariorum corruptela, quam ſi vox TRADITAM vel aureis litteris in Protocollo ſeruata fuiſſet.

Nec etiam in tertia quæſtione opus eſt diutius immorari. Nam cum ipſimet Prædicantes negare non poſſint, prudenter à ſe eiuſmodi vocem ſuppoſitam, vtpote cum altera inſtituto (Prædicantium intellige) nõ eſſet conueniens, & verò aliunde liqueat, ſeruata voce TRADITAM de cauſa Prædicantium conclamatum eſſe, quiſque videt, Prædicantes commodo ſane ſuo eiuſmodi vo-

cis commutandæ periculum in ſe ſuſcepiſſe: Etſi iam detecta fraude, nihil niſi turpiſſimam & indelebilem ignominiæ notam inde reportent. Neque vero fruſtra tam diu tergiuerſati fuiſſent Prædicantes, ſi alioqui vox illa TRADITAM nihil illorum cauſæ noxia, nihil Catholicorum proficua fuiſſet, multo minus hoc onus permutandi huiuſmodi voces ſuo honori tam periculoſum ſuſcepiſſent.

Quod attinet ad quartam quæſtionem, etiam partim ex dictis, partim ex Confeſſione aduerſariorum manifeſtum eſt, eam tranſmutationem non potuiſſe fieri, niſi in Reuiſione Protocolli. Quandoquidem etiam vox illa DESCRIPTAM in authentico Bauarico Protocollo eodem charactere ſcripta reperitur, quo cæteræ emendatoriæ notæ in reuiſione ab vtriuſq; partis collocutoribus datæ. Qua ratione autem, & conſilio eiuſmodi lituræ in Bauarico Protocollo à Reuiſoribus noſtræ partis retentæ ſint ſuperiùs c. I. explicauimus.

Quoad quintum etſi quidem ſcire, nihil magnoperè interſit, quis in particulari præcipuus ſit eius criminis autor; facile tamen colligi poteſt, cum ea deprauatio circa verba Hunnij contigerit, iſq; haud dubiè ſuorum verborum emendatorias notas Reuiſoribus, vt conſuetum erat, tradendas ipſemet confecerit; vt qui ea quoq; de cauſa durante Reuiſionis negocio Ratisbonæ remanſerat; ſatis, inquam, ex hoc veriſimiliter colligi poteſt, Hunnium præcipuum eſſe huius egregij facti auctorem. Quod vel ideo annotauerim, ne Hunnius à ſe hanc accuſationem transferre in ſuæ partis Reuiſores impoſterum audeat, quaſi nos iſtos præcipuè in hoc crimine reos agamus: Cum equidem eos non aliter accuſem, quam quatenus Hunio animaduerſa fraude cooperati ſunt. Hinc ſicut fieri poteſt, vt quidam ex iis aut emendationem hanc non viderint, aut eius certè fraudem non notauerint, ita etiam ſingulos in particulari huius criminis arguere mihi non libet; nec etiam opus eſt: ſufficit generatim ſcire, homines illos ex Aduerſariorum parte reos eſſe, qui vt Prædicantes Tübingenſes in ſuo ſcripto germanico loquuntur, jenſeit des Bachs ſo wol gemerckt haben

Digitized by Google

ben/ das es ſol Descriptam vnd nit Traditam heiſſen. Inter quos haud dubie primus fuit Hunnius, quē honoris cauſa nominamus.

Sed nunc videamus, quibus rationibus Prædicantes huius notati criminis notam abſtergere conentur. Primum quidem omnes communiter hoc argumento à ſe repellere hanc accuſationem nituntur. Quia alioquin, inquiunt, eiuſdem criminis etiā reos eſſe oportet Reuiſores Catholicos, quorum conſenſu, eiuſmodi vocū commutatio facta eſt. Sed hæc planè friuola ratio eſt. Nā vt ſupra dixi; in cōmunionem ſceleris vocari nec poſſunt, nec debent illi, qui fraudis conſcij non fuerunt. Fuiſſe autem noſtros Reuiſores ab aduerſariis de eiuſmodi ſua emendatoria nota Protocollo inferenda ſingulariter præmonitos, non modo res ipſa falſum eſſe demonſtrat, ſed nec Prædicantes puto affirmabunt. Quocirca cum tot aliis mutationibus permixta traderetur, fieri facile potuit, ut etiam accuratiſſimæ mentis diligentiam, adeo variarum rerum obſeruatione diuiſam (præſertim in re tali, vbi minima poterat eſſe fraudis ſuſpicio) vna illa vox effugeret. Neque forte multum à vero aberret ille, qui exiſtimet, id planè diuinitus accidiſſe, vt videlicet admiſſa fraus maiore poſtea aduerſariorum probro detegeretur, noſtraque de Prædicantibus victoria manifeſtius eluceſceret; cum alioqui ſi vox TRADITAM ſeruata fuiſſet, mille modos conquiſiſſent Prædicantes, quibus ſuadere conati fuiſſent, eam vocem nihil ſuæ cauſæ præiudicare, quandoquidem Hunnius id etiamnum facere conatur.

Secundo addunt Tübingenſes, cur non ego reclamauerim eiuſmodi mutationi, cum illa mihi Seſſio relegenda traderetur. Lepide profectò, tanquam ſi fures lucem ambiant. Mihi quidem vt & aduerſæ partis Collocutoribus Seſſiones per partes reuidendæ domum miſſæ fuerunt, ſed (quod equidem in tempore monui) aduerſariorum notationes non item, niſi ſemel atque iterum, cum Domini Reuiſores noſtræ partis in re controuerſa, meum etiam tanquam Collocutoris iudicium expetendum ducerent. Quod ſi etiam Seſſionem illam iam notatione Prædicantium deformatam legiſſem (quod tamen

falſum

falſum eſt) quid hinc obtinerent, niſi quod ego quoq; aut dicta aduerſariorum non legiſſem, aut fraudem non animaduertiſſem, quod me quidem alicuius fortè aut indiligentiæ, aut imprudentiæ culpare queat, ſed aduerſarios tamen à crimine abſoluere nequaquam poſſet. Et certè incredibile eſt, me, ſi vocem illam *Deſcriptā* pro *Traditam* ſuppoſitam eſſe legiſſem, non animaduerſurum fuiſſe fraudem, cum tamen in Colloquio amplius quam horæ ſpatiū elaborauerim, vt voculam illam *Traditam* ab aduerſariis tandem aliquando extorquerem. Eamque adeo magno applauſu, gratoq; animo ex Aduerſariorum ore ſuſceptam palam in Colloquio ratam habuerim; vt ſupra oſtenſum eſt.

Tertio Hunnius ex eo quoque probare nititur, mutationem eiuſmodi à ſe nullam eſſe factam; quia eius nulla potuerit eſſe cauſa, cum etiam vox TRADITAM nullum ipſis incommodum, nec aliquod etiam nobis commodum creare potuiſſet. Quocirca etiam nunc in examine Præfationis ſtomachabundus vrget, vt ſi ita lubet, etiam vocem TRADITAM in ipſo Protocolli textu denuo reponamus. Sed hæc omnia deſperatæ, & conuictæ mentis indicia ſunt. Vocem enim TRADITAM in propoſito non generatim, ſed ſtrictè pro doctrina aliqua voce palā extra ſcripturam TRADITA accipi, tum res ipſa; tum circumſtantiæ eius loci, præſertim tam diu agitata quæſtio, & noſtra Hunnianæ reſponſionis grata acceptatio teſtantur; tum etiam ſatis intellexerunt Tubingenſes, dum aiunt die Leuth ſo jenſeit des Bachs geweſen / haben wol gemerckt / es müſſe DESCRIPTAM, vnd nit TRADITAM heiſſen. Certè vox TRADITIONIS, in eo puncto controuerſiæ, quo ſenſu vſurpari ſoleat, nemo neſcit.

Quartò omnia tentant aduerſarij, vt nobis quoq; probæ fidei opinionem adimant. Et Hunnius quidem his verbis velut grande nobis obiecturus ſcelus, intonat. *Ipſi Jeſuitæ tales ſunt, qui ad Protocollum ab vtriusque partis Reuiſoribus approbatum, & conformatum, auſi fuerunt ſui quod putant, emolumenti cauſa, in margine adiicere vocabulum TRADITAM.* Itane verò Hunni in margine? extra contextum? atque adeò fide optima? Et præmonito

monito in præfatione Lectore? Et hoc tibi crimen videtur? aſteriſco in margine poſito veſtra crimina notari? Credo ſanè aſteriſcum illum vobis omni cometa funeſtiorem illuxiſſe. Sed quam pulchre noſtrum Protocollum adornat? quantumuis vrat magis Prædicantes, quam illuſtret; quanquam etiam illuſtrat, dum eos adeò illuſtres impoſtores demonſtrat. Tubingenſes verò aliud quippiam quaſi magnum crimen intentant, nouas videlicet ſolutiones obtrudere me conatum fuiſſe circa Aaronem nōdum conſecratum, & locum Rom. 14. de conſcientia dubia. Sed apertè calumniantur, vt in defenſione Relationis meæ luculenter oſtendo. Cap. 2.

Quinto, addunt Tubingenſes, etiam circumſtantias eius loci demonſtrare, legendum eſſe DESCRIPTAM, non TRADITAM. At ſi dicere velint, ex circumſtantiis colligi, dictum fuiſſe DESCRIPTAM, tunc aio, illos ſecundum omnes circumſtantias mentiri, nam ex circumſtantijs tum antecedentibus, tum conſequentibus ſupra contrarium apertè demonſtratum eſt. Niſi forte Prædicantes adeò ſunt acuti, vt quia Hunnius in antecedentibus antea turpiſſime fuerat tergiuerſatus; idcirco etiam tunc tergiuerſatum fuiſſe concludere velint. Sed hoc ipſum tamen circumſtantiæ conſequentes factum non eſſe conuincunt, quibus conſtat id reſponſum à nobis gratiſſimo animo acceptatum.

Sexto, Tubingenſes vehementer vrgent ſubſcriptiones noſtrorum Reuiſorum, qui teſtati ſunt *omnia circa Reuiſionem bona fide acta fuiſſe.* Sed inprimis hæc ipſa, tam noſtræ, quam aduerſæ partis Reuiſorum ſubſcriptio quæ in Protocollo Bauarico extat teſtatum facit, id quod in hac controuerſia præcipuum eſt, nempe Prædicantium opera, pro voce TRADITAM ſuppoſitam fuiſſe vocem DESCRIPTAM, vtpote cum in illo ipſo authenticò Protocollo vox illa DESCRIPTAM pro TRADITAM legatur ſuppoſita. Deinde ad bonam fidem quod attinet, quandoquidem Reuiſores noſtri quoad Reuiſores aduerſæ partis cardiognoſtæ non erant, certè id quoad eos intelligendū erit, cum grano ſalis: quantum videlicet eo tempore compertum haberent. Quod ſi vero iam detecta fraude, bonæ fidei teſtimonium ab eis quoad

Digitized by Google

hoc punctum impetrabunt aduerſarij, tunc eſto per me trium-phent.

Septimo, aiunt Tubingenſes. Pari modo poſſet in dubium vocari Protocollum multis etiam alijs locis,quæ itidem in Monacenſi Protocollo notationibus quibuſdam immutata cernuntur. Sed reſpondeo, quacunq; fide rem ſuam in aliis locis egerint Aduerſarij (omnes enim eorum emendationes taxare nihil opus eſt) hunc ſanè locum à Catholicis diſſimulari nequaquam potuiſſe, cum non ſolum fraus hoc loco commiſſa apertiſſimis argumentis conuinci poſſit; ſed etiam in principali totius Colloquij puncto, & ea quidem ipſa confeſſione aduerſariorum acciderit, pro qua exprimenda horæ ferè ſpacium ob turpiſſimam aduerſariorum tergiuerſationem conſumptum fuit. Alioquin tantum abeſt, vt Catholici Protocollũ oderint, (quicquid iſti calumniatores mentiantur) vt id etiam ſecunda editione magno exemplarium numero in lucem dederint: & certe in tanto mendaciorum nymbo, hoc ſolum ferè, certe nullum melius præſidium reliquum factum ſit. Atq; ſic ergo hoc, quod à nobis quidem Prædicantibus ſemper quaſi falſi crimen fuit obiectum, à Prædicantibus autem initio nõ negatum, partim etiam pro ludo habitum, tandem de calumnia & falſi crimine notatum, euidentibus argumentis denuo communitum in Prædicantium caput adactum eſt. Et tantum abeſt, vt quod Tubingenſes ridiculè minitantur, verear vllius hac in re æqui iudicis cenſuram experiri, vt plane aliud non optem, quam vt ſeculares quoq; Principes & Magiſtratus, cognita cauſa, vel ex hoc vnico facto tum Prædicantes noſſe, eoſq; ſuo habere loco diſcant; tùm etiã quã ruinoſa maleq; fida ſit Prædicantiũ cauſa intelligant.

Et hic finis eſt etiam Abſurditatum, quæ Prædicantibus in præfatione obiectæ ſunt. Quanquam vero Hunnius initio promiſerat, ſe refutationem ſuam præfationis ita inſtituturum, vt de verbo ad verbum poneretur Præfatio, iam tamen ſui promiſſi oblitus poſtremam præfationis partem penitus prætermittit. Quocirca operę precium viſum eſt eius in ſoluendo promiſſo negligentiam notare pariter & ſupplere, Præfationis contextum reliquum integrè deſcribendo. Sic ergo habet.

Digitized by Google

TEXTVS PRÆFATIONIS AB Hunnio prætermiſſus.

EN Lector, ad quæ paradoxa, quas abſurditates quas contradictiones, quantas calamitates adduxerit Prædicantes, DIALECTICA FORMA, cuius ſe ſtudioſos Catholici Collocutores præbuerunt. Plura autem de his abſurdis ſtudioſus Lector videre poterit in Relatione de Colloquio Ratisbonenſi, quæ Monachii edita eſt: vt & in refutatione Relationis ab Aduerſariis editæ: vbi etiam luculentam ad ea, quæ Prædicantes Catholicis abſurda inaniter obiecerunt, reſponſionem inueniet. Relatio de Colloquio. Examen Hunni. Relat.

DEMVM illud te non prætereat, Lector, quod tuo bono ſcire potes. Inuenies Seſſ. 13. pag. 288. manu indice, pro voce. TRADITAM ſuppoſitam eſſe vocem DESCRIPTAM eorum ſtudio, quorum commodo. Sed dictum eſſe, TRADITAM, non ſolum norunt ij, qui præſentes Colloquio fuere: Sed etiam tum antecedentia, tum conſequentia eiuſdem loci, tum protocolla à Notariis Catholicæ partis ſeorſim excepta, tum ea quæ Seſſione prima, & decima circa traditionem illam librorum canonicorum, apud aduerſarios in confeſſo fuiſſe intelliges, tum inprimis ipſum originale & authenticum exemplar Protocolli, manu Reuiſorum & Notariorum vtriuſque partis ſubſcriptum, in quo vox, TRADITAM leui litura ita oblita eſt, vt legi nihilominus ab omnibus poſſit, luculenter demonſtrant. Et bene eſt, quod rem hanc, nec ipſi quidem Prædicantes Neoburgenſes, ſuo *aut* ſuorum Collegarum, qui Colloquio huic interfuerunt, nomine *negant*, De voce *TRADITAM* aut *DESCRIPTAM*, *inquiunt*, cum paginæ Monacenſes in promptu non ſint,

Digitized by Google

non eſt quod moneamus, niſi quod falſo noſtratibus tribuitur, ob certum aliquod commodum, vnam aut alteram vocem fuiſſe immutatam. *Rem acu. Quiſquis enim dicit, eos ob CERTVM aliquod commodum eiuſmodi vocem ſuppoſuiſſe, extremè ſanè fallitur. Nam etſi vel maximum alioqui ſibi propoſuerint commodum, nullum tamen CERTVM ſperare poterant: nec iam hoc artificio ſuo, & Protocolli in præcipuo totius diſputationis puncto deprauatione, niſi certiſſimum incommodum reportant. Sed aiunt, ſe* apertè & candide in toto illo negocio *rem egiſſe. Verum nimis apertè iam & candidè Lectoris candore abutuntur. Se enim candidè voluiſſe decipere, ſuadere quidem poterunt quibus volent, perſuadere autem nulli prudenti. Quid enim hac aduerſariorum diligentia ſibi velit, quiſque prudens ſuo Marte, abſque cuiuſquam admonitu, inſpecto, & perlecto eo loco, facilè intelliget.*

Quod autem queruntur loca, quædam Scripturæ, à ſe, vt aiunt, in Colloquio recitata, finito Colloquio in Protocollum relata non eſſe, immeritò faciunt. Cur enim, finito iam Colloquio, in acta referantur ea, quæ nec in Colloquio à Notariis annotata fuerant, & de quibus etiam conſtare non poterat, an, & quomodo ab aduerſariis adducta fuerint: fortè enim, ſi in Colloquio excepta fuiſſent, inueniri potuiſſent plura ſimilia illis: Eſt qui iudicabit vos Moyſes. *Ioan. 5.* Petrus ait, *1. Pet. 3.* Quouis tempore reddendam eſſe rationem fidei, *&c. quæ quidem cum præclara ſint Prædicantium monumenta, nulla vnquam oblitterabit obliuio. Accedit, quod nec teſtimonia, à Catholicis in Colloquio recitata, deſcripta in Protocollo omnia habeantur. Et certè Scripturæ allegationem Catholicis alioqui, vt ipſi aiunt, vehementer fuiſſe exoſam, vaniſſima Prædicantium calumnia eſt. Sed iam ſat præfationis, candide, & veritatis amans Lector, in cuius* gratiam

Digitized by Google

gratiam hæc acta in lucem denuò proferuntur; Tu his fruere & vale.

HÆc ſunt, quæ contra datam fidem prætermiſit Hunnius, non alia haud dubiè de cauſa, quàm quia noluit hoc tam inſigne Prædicanticæ vanitatis monimentũ, tot argumentis roboratum, in ſuo ſcripto extare. Verum nunc eo magis hìc deſcribendum fuit, vt quaſi eorum quæ ſuperius fuſius diximis Synopſis, ob omnium oculos denuò poneretur, & vel ex hoc argumento diſcerent omnes, quam ſit Hunnio ſyncera & fraudis neſcia mens; qui circa vocem TRADITAM in ſuo examine ita cõtra nos deblaterauit, tanquam ſi accuſatio noſtra nudis verbis, nullis argumentis in præfatione fuiſſet tranſacta. Ita nec argumenta noſtra referre voluit, nec ad ea reſpondere potuit.

CAPVT XIII.

DE OCTOGINTA SEX ALIIS abſurdis Hunnij, collectis ex ijs, quæ ipſe velut abſurda in ſuo examine præfationis Catholicis impingere fruſtra tentauerat.

QVIA vindicare ſe de noſtris cupiebat Hunnius, & vt ait, *par pari referre*, idcirco cum initio non niſi octodecim aut viginti circiter, ſuo quidem iudicio, velut abſurda Catholicis obijceret, iam ad octoginta ſex numerat, vnum ſcilicet & idem multis numeris amplificans. Sed lepidè res accidit, vt Prædicans, dum noſtra vellet recenſere abſurda, ſua indicaret; cum partim falſo nobis quædam tribuat; quædam dicta verè quidem; ſed quæ adeò non ſint abſurda, vt eorum potius antitheſes ſint abſurdæ. Vtraque nos ergo iam (ſuppoſito tamen, vel ſubindicato nonnunquam in his vero & germano ſenſu noſtrarum Propoſitionum) conuerſa in eum eiuſq́;

eiuſue Collegam Iacobum Hailbronnerum retorquebimus: id quod eò breuius fieri poterit, quod non ſolum plura ex ijs etiam ſuperius recenſita in abſurdorum Prædicanticorum catalogo reperiuntur, ſed etiam quod pleraq; ex ijs in Examine quoq; Hunnianæ Relationis prolixè pertractauimus, ad quod etiam Lectorem ſubinde remittemus, vt etiam ad Apologeticum pro Relatione Compendiaria à me perſcriptum. Abſurda ergo Prędicantium collecta ex Hunniano examine Præfationis ſunt iſta.

I. & II. Quod Prædicantes iniquiſſimis poſtulatis mouendis, de modo & medijs à Iudice Eccleſiaſtico in definiendo adhibendis, & traditionibus ſpecificandis, initio ſtatim Colloquij turpiſſimè ſunt tergiuerſati, de qua re ſupra in primo abſurdo ex ijs, quæ in præfatione notata ſunt.

III. Quod S. Petrus iubens SEMPER eſſe paratos ad rationem reddendam, de actu ipſo confeſſionis loquatur, de quo ſupra abſurdo 3. & 4.

IV. Quod traditiones, atq; adeo verbum non ſcriptum non ſit eiuſdem auctoritatis, cuius eſt ſcriptum. Auctoritas ſcilicet verbi diuini Prædicantium iudicio pendet à charta & atramento.

Vid. Apolog. Rela. De tradit.

V. Quod non liceat in enthymemate negare conſequens, de qua re in Examine Relationis Hunianæ cap. 8. *Vos Dialectici iudicate.*

VI. Quod quia Pontifex priuatim hæreticus fieri poteſt idcirco etiam poſſit errare in definiendo ex cathedra. Nihil enim capiunt Prædicantes, nihil intelligunt: neq; verò in ſuo Examine ſcit Hunnius, quid ſit cathedra, etſi quandoq; ſciuerit, vt ſupra oſtendimus; multò minus intelligit, aut intelligere vult, quid ſit ex cathedra definire. Plura alibi.

Cap. 7. abſurd. 14. Vid. etiam Apolog. Relat. de Phariſ. & Pont.

VII. Quod reſpondens non minus quam argumentans principium petat, de qua re in Examine cap. 8. vbi etiam ad exemplum Hunnij reſponſum eſt.

VIII. Quod in veteri teſtamento pro fœmellis non fuerit aliquod remedium externum, de qua re ſupra, & in examine cap. 10. & 20.

IX. Quod Scriptura paruulis veteris teſtamenti ante octauum diem mortuis promittat beatitudinem, etiam abſq; remedio aliquo externo. De hoc enim loquutum eſſe D. Gretſerum patet ex

omni-

Digitized by Google

omnibus antecedentibus & conſequentibus eius loci.

Quod baptiſmus tempore paſſionis Chriſti ante eius mortem iam obligauerit,&quod hoc probetur ex Ioan.3.aut exemplo baptiſmi Ioannis, quẽ falſo & abſurdè Hunnius ratione efficaciæ ſalutis eundem cum baptiſmo Chriſti aſſerit. Sed de hac re infra. X. Cap. 14.

Quod latro beneficium (paſſionis Chriſti) ſibi non applicauerit etiam per ſuam mortem, quam patienter tolerando ſibi meritoriam fecerit, nec etiam vigore ſui ſupplicij patienter tolerati ſaluatus ſit; de quo cap. 10. Examinis. XI. & XII.

Quod infantes, qui ſine baptiſmo decedunt ſaluentur; de quo cap.10. & 20. Examinis Hunn. Relat. & infra. XIII. Cap. 14.

Quod dici non poſſit Necromanticos (ſeu verè, ſeu in ſpeciem) mortuos exſuſcitare, cum tamen ipſam Samuelis animam exercente Pythoniſſa artem ſuam magicam, vere à Deo excitatam fuiſſe ſentiant viri omnibus Prædicantibus doctiores, Lyranus, Toſtatus, Caietanus, imo etiã S. Auguſtinus, & B. Thomas, vt fuſius probat noſter Benedictus Pererius diſſolutis rationibus contrarijs; quanquã profecto adeo acutas rationes pro ſua opinione alibi adducit Hunnius, vt quædã ex ijs virum adeo ingenioſum ac diligentem plane effugerint. Et tamen Hunnius in ſuo Apologetico pag.117. ijs adeo inſolenter gloriatur, tanquã ſi meræ ſint demonſtrationes, cum pleræque ad ſtuporem vſque ridiculæ ſint. Quaſi verò oporteat Deum cooperatum malitiæ mulieris, ſi hac ſuperſtitionem ſuam exercente, Deus ex malo bonum eliciendo, (vt etiam factũ eſt cum Balaam Num.22.) Samuelem tum ad maiorem huius gloriam, tum ob acerbiorem pœnam & condemnationem impietatis Saulis, interim à mortuis excitauit. Quaſi verò anima nõ potuerit Dei virtute, aut verum, aut fictũ corpus aſſumẽdo, viſibilis apparere, & quidẽ in ſpecie ſenis barbati, & pallio Samuelis ſimillimo amicti, cum tot ipſius Dei atq; Angelorum apparitiones in ſcripturis legamus. Quaſi verò ſi Deus Sauli, quia indignus erat, nec per viſiones, nec per Prophetas voluit antea reſpõdere, idcirco etiam non voluerit per defunctum Samuelem, ob maiorẽ huius gloriam, & Saulis ſupplicium reſponſum dare. Quaſi non potuerit Samuel ad Saulem verè dicere: *Hodie mecum* (id eſt

XIV.

Auguſt. lib. de cura pro mortuis cap.15 Thom. 1. p. q. 89. a. 2. & in 2. 2. q. 174. art. 5. Pererius in cap. 7. Exod. diſp. 8.

apud

apud inferos, abſtrahendo à determinato loco) *erit*. Hæ ſcilicet
Eccleſ. 6. ſunt inuictæ illæ rationes, ob quas, cum contrarium, ipſomet
Hunnio agnoſcente, habeat liber Eccleſiaſtici, idcirco ex Canone Prædicantium, ac Hunnij iudicio, ſit eradendus.

XV. Quod ſit abſurdum, Aduerſarios monere, vt vel ad antecedens, vel conſequens reſpondeant.

XVI. (iuxta latinos. 115.) Quod illa propoſitio Pſalmo 116. *Omnis homo mendax*, non patiatur exceptionem. Ergone Chriſtus quoq;, & B. Virgo veri vtique homines, Prædicantibus dici debent mendaces? An ipſi potius blaſphemi & mendaces ſunt?

XVII. Quod ſimiliter etiam limitationem nullam patiatur illud Pſalmi 14. *Omnes declinauerunt*. Sic ergo procul dubio à Prædicantibus illud Geneſis 9. *Omne quod mouetur & viuit erit vobis in cibum*, (Geneſ. 9.) etiam de pediculis, culicibus, pulicibus intelligendum erit, & illud quoq; 2. Tim. 4. *Omnes me dereliquerunt*, etiam de Tito & Timotheo. (2. Timot. 4.)

XVIII. Quod fieri non poſſit, vt ſummus Pontifex ſit quoad ſuam perſonam malus, & ſimul in definiendo infallibilis: item quod priuata cæcitas obſtet, Deoq; proinde manus liget, ne per tales poſſit Deus aliquid veri docere, alioſque illuminare, quidquid Chriſtus dicat: *Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere.* (Matth. 23.)

XIX. Quod Deuteronomij 17. Malach. 2. Hag. 2. Matth. 23. non mittat Deus Iudæos etiam ad Sacerdotes, aliquid extra Scripturam, (iuxta Scripturam tamen) pronunciantes &c. Scilicet ipſamet interpretatio Scripturæ ex ſola Scriptura, non ex traditione habebatur.

XX. Quod defectum priuatæ ſcientiæ non poſſit, aut velit Deus ſupplere in Iudice à ſe conſtituto, circa fidem aliquid definiente, & quod hoc fieri non poſſit, niſi iudex talis *duplicem mentem* habeat. Sed an Prædicantes vnam ſaltem mentem habent, vt relictis ſuis *palpabilibus mendacijs* rectè tandem ſapere diſcant? ſed de hac re plura in Apologetico pro Relatione.

XXI. Matth. 16. Quod Chriſtus Matthæi 16. cauere iubens à fermento Phariſæorum

ſæorum, non loquatur tantum de doctrina priuata Phariſæorum; ſed de publica illa atque adeo definitiua & iudiciaria. Scilicet Prædicantes miſeri neſciunt quid ſit publica, & quid priuata doctrina; & tamen eos docere poterat D. Gretſerus digreſſione 4. contra calumnias Hunn. Et nonnihil de eadem re à me actum eſt in Exam. cap. 10. & alibi in Apologetico Relationis plura.

Quod abſurdum ſit dicere, poſſe ſingulos ſacerdotes errare, omnes autem ſimul in definiendo errare non poſſe. An forte Hũnius quoq; non ſolum poteſt ſingulos cereuiſiæ ſextarios exhaurire, ſed etiam omnes totius Saxoniæ? XXII.

Quod Aaron fuerit ſacerdos ſummus ſimpliciter, etiam, reſpectu Moſis in viuis exiſtentis, de quo in Exam. Hunn. Relat. cap. 16. & in Apologetico Relationis plura. XXIII.

Quod fides interior cum peccato mortali, aut externa idololatria conſiſtere non poſſit. Mendacia autem & fraudes ſui labyrinthi inueniet Hunnius notata & iugulata à D. Iacobo Gretſero in labyrintho Cretico Hunniano. XXIV. Iacob. Gretſ. Labyrinthus cretico-hunnianus.

Quòd circa ea, quæ quoad ædificationem altaris, vituli erectionem, promulgationem celebritatis feciſſe legitur Aaron, nõ tam permiſſiuè ſe habuerit, quam ipſemet omnia fecerit, Prædicantibus, vt apparet, ſimul & cæmentarius, & aurifaber, & præco, ſummus plane non tam pontifex, quam opifex, de quo etiam ſupra, & in Exam. Hunn. Relat. cap. 11. XXV. Cap. 7. abſurd. 12.

Quod ſi pontifex poteſt errare errore perſonali, & vt priuatus homo, poſſit etiam errare errore iudiciali, & vt pontifex, atque adeo in definiendo, de quo paulò ſupra, & plura in Apologetico Relat. XXVI.

Quod pontifex, etiam cum nihil definit, ſed in facto ſolùm vt homo priuatus errat V. G. ædificando hæreticis templum, aut exterius honorem idolo deferendo, adhuc tamen in ſuo *officio iudicis* errare dicatur. XXVII.

Quod cathedra Moſis etiamnum ad Chriſtianos pertineat: item quòd in cathedra Moſis ſedere nihil ſit aliud, quam ſonare ſiue explicare doctrinã Moſis, eo modo, quo id nunc etiam Chriſtiani Doctores facere ſolent. XXIIX.

A a Quod

Digitized by Google

XXIX. XXX. XXXI. XXXII. Quod Vrias Pontifex non tantum in moribus, ſed etiã vt ſacerdos in poteſtate judiciaria, eiuſq; exercitio, ac proinde *in definiendo* errauerit; eo quòd in diuini cultus exercitio errauerit. O plũbum. Quaſi cum auctoritate *definire*, & ſacrificare, aut altare erigere idem ſint &c. Interim abſurdus Prædicans cõtradictioné fingit in verbis, quæ non intelligit, erraſſe videlicet Vriã, vt ſacerdoté, & nõ erraſſe tamẽ vt Sacerdoté, cum vtrumq; diuerſo ſenſu & reſpectu verũ ſit; non erraſſe videlicet, vt ſacerdotij officiũ ritè explentem, vt intelligebat D. Gretſerus, erraſſe tamẽ in officio ſeu potius cõtra officiũ ſacerdotale, vt ego dicebã. Dialectici breuius dicerẽt, prius verũ eſſe, ſi particula, *vt*, accipiatur reduplicatiuè; poſterius, ſi ſpecificatiuè. Sed nũ hoc intelligeret Hunius? tã malus Dialectic⁹?

Vid. Apol, Relat. cap. 11. & 13.

XXXIII. Quod *noua & toti choro Prophetarum & Apoſtolorum prorſus ignota ſit interpretatio definitionis è cathedra*, quã dedit D. Gretſerus, aſſerens. 2. Seſſ. inter alia indicia, ex quibus cognoſcitur, Põtificẽ ex cathedra definire eſſe etiã hæc duo. 1. Cũ aliquid *ſub anathemate definit*. 2. cum *per Bullam obligat totam Eccleſiam*. Prædicantibus ſcilicet Propheta non eſt Chriſtus, qui tanquam *Ethnicum & Publicanũ* habendum decernit eum, qui Eccleſiam non audierit, quod aliud re ipſa non eſt, quã inflicto anathemate ab Eccleſiæ cõmunione quẽpiam remouere. Nec aut Propheta, aut Apoſtolus erat Paulus, quãdo ſub anathemate definiẽs ait: *Si quis nõ amat Dominũ Ieſum Chriſtũ, ſit anathema.* Et rurſus alibi: *Si quis vobis euãgelizauerit præter id, quod accepiſtis anathema ſit.* Neq; etiã Apoſtoli aut Prophetæ erãt Petrus, Iacobus & cæteri in Cõcilio Hieroſolymitano cõgregati, quando veluti *Bulla* quadã reliquis Eccleſijs per Paulũ & Barnabam ſuam ſententiã in Concilio definitã his verbis denunciarunt: *Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis &c.* An iſti Prophetæ & Apoſtoli non fuerunt? an tu potius, Hunni, nec Apoſtolus, nec Propheta, ſed potius Pſeudopropheta es?

Matth. 18.

1. Cor. 16.

Gal. 1.

Actor. 15.

XXXIV. Quod adeò *mirabiles* & miſerabiles fuerint Prædicantes, vt nec datis ſolutionibus noſtris acquieſcere voluerint, nec eas ordine & in forma impugnare potuerint.

XXXV. Quod Reges olim tantũ ad verbum Dei ſcriptũ reſpexerint, & non etiam ad alia ſecundum illud: *Interroga patrem & matrem tuã*

Deut.

Digitized by Google

Deut. 32. Quaſi verò hoc Dei præceptum conſiſtere non poſſit cum illo Ezech. 20. quo prohibet Deus, ne filij peccata parentum imitentur, ſed, vt ſua potius præcepta obſeruent, præcipit.

Quod pij Reges olim in ſuis Reformationibus nõ reſpexerint etiam ad ductum rationis naturalis. Vnde ergo, ô cæce Prædicans, colligit Dauid ſibi in neceſſitate licitũ eſſe, comedere panes propoſitionis? Vnde Machabæi licitũ ſibi eſſe pugnare die Sabbathi? vt alia taceam. An tu non adhibes rationem cum ſcripturam interpretaris? aut in tuarum Eccleſiarum Reformatione laboras? An homo vecors & ſine mente es? An falsò diuinus Propheta, quærẽti: *Quis oſtendit nobis bona?* reſpondet: *Signatũ eſt ſuper nos lumẽ vultus tui Domine:* lumẽ ſcilicet naturalis rationis diuinitus mẽti impreſsũ? An impie Auguſtinus? *Contra rationem nemo ſobrius: contra ſcripturas nemo Chriſtianus: contra Eccleſiã nemo pacificus ſenſerit?* XXXVI. 1. Reg. 21. 1. Machab. 2. Pſal. 4. Auguſt. lib. 4 de Trin. c. 6.

Quod exempla illa Seſſ. 4. à me producta, de pileo & cornibus non apte declararint rem, de qua agebatur, nempe ſcripturã ideò imperfectam non eſſe dicendam, tametſi non omnia, quæ credenda ſunt, in ſpecie contineat: niſi forte putat Huñius, cornua quoq; ad ſui perfectionẽ ſpectare. Et quamuis ego hæc ſolũ adduxerim, vt exẽpla, quibus oſtenderẽ, non cuiuſuis perfectionis abſentiã rei cupiam imperfectionẽ inducere, non vt ſimilia, quibus ſcripturã conferrem; ſi tamẽ id maximè feciſſem, quid in ſacram ſcripturam contumelioſum feciſſem? An forte Huñius dicet, Chriſtum quoq; *ſcabioſis ſimilibus conſpuiſſe* regnum cœlorum, quando illud comparauit *ſagenæ miſſæ in mare, fermento, grano ſinapis.* &c. XXXVII. Matth. 13.

Quod ſine contradictione non poſſit aſſeri, ſcripturam eſſe perfectam, & tamen per ſe ſolam non ſufficere homini, ad eum finem conſequendum, ob quem condita eſt, nimirum ad doctrinam, & ad redarguendas hæreſes, hominemque perfectũ reddendum, & tandem ad ſalutem hominis externam &c. Quod ſi ita eſt, tum ergo, vt ſua ſcripturæ perfectio cõſtet, nemo amplius baptizetur, nemo abſoluatur, nemo corpore Chriſti paſcatur, nemo credat, nemo diſcat, nemo doceat, è mundo eijciatur vniuerſũ Prędicantiũ miniſteriũ, quandoquidẽ ſcriptura (vt aiũt) per ſe ſola ſufficit ad doctrinã, ad redarguendas hæreſes, ad ſalutẽ. An ne vel ob hanc vnicam inſaniam hoc non meremini Prædicantes? Quod XXXIIX. Vid. Apolo. Relat. cap. 7.

hoc punctum impetrabunt aduerſarij, tunc eſto per me triumphent.

Septimo, aiunt Tubingenſes. Pari modo poſſet in dubium vocari Protocollum multis etiam alijs locis, quæ itidem in Monacenſi Protocollo notationibus quibuſdam immutata cernuntur. Sed reſpondeo, quacunq; fide rem ſuam in aliis locis egerint Aduerſarij (omnes enim eorum emendationes taxare nihil opus eſt) hunc ſanè locum à Catholicis diſſimulari nequaquam potuiſſe, cum non ſolum fraus hoc loco commiſſa apertiſſimis argumentis conuinci poſſit; ſed etiam in principali totius Colloquij puncto, & ea quidem ipſa confeſſione aduerſariorum acciderit, pro qua exprimenda horæ ferè ſpacium ob turpiſſimam aduerſariorum tergiuerſationem conſumptum fuit. Alioquin tantum abeſt, vt Catholici Protocollũ oderint, (quicquid iſti calumniatores mentiantur) vt id etiam ſecunda editione magno exemplarium numero in lucem dederint: & certe in tanto mendaciorum nymbo, hoc ſolum ferè, certe nullum melius præſidium reliquum factum ſit. Atq; ſic ergo hoc, quod à nobis quidem Prædicantibus ſemper quaſi falſi crimen fuit obiectum, à Prædicantibus autem initio nõ negatum, partim etiam pro ludo habitum, tandem de calumnia & falſi crimine notatum, euidentibus argumentis denuo communitum in Prædicantium caput adactum eſt. Et tantum abeſt, vt quod Tubingenſes ridiculè minitantur, verear vllius hac in re æqui iudicis cenſuram experiri, vt plane aliud non optem, quam vt ſeculares quoq; Principes & Magiſtratus, cognita cauſa, vel ex hoc vnico facto tum Prædicantes noſſe, eosq; ſuo habere loco diſcant; tùm etiã quã ruinoſa maleq; fida ſit Prædicantiũ cauſa intelligant.

Et hic finis eſt etiam Abſurditatum, quæ Prædicantibus in præfatione obiectæ ſunt. Quanquam vero Hunnius initio promiſerat, ſe refutationem ſuam præfationis ita inſtituturum, vt de verbo ad verbum poneretur Præfatio, iam tamen ſui promiſſi oblitus poſtremam præfationis partem penitus prætermittit. Quocirca operę precium viſum eſt eius in ſoluendo promiſſo negligentiam notare pariter & ſupplere, Præfationis contextum reliquum integrè deſcribendo. Sic ergo habet.

TEXTVS

Digitized by Google

TEXTVS PRÆFATIONIS AB Hunnio prætermiſſus.

EN Lector, ad quæ paradoxa, quas abſurditates quas contradictiones, quantas calamitates adduxerit Prædicantes, DIALECTICA FORMA, cuius ſe ſtudioſos Catholici Collocutores præbuerunt. Plura autem de his abſurdis ſtudioſus Lector videre poterit in Relatione de Colloquio Ratisbonenſi, quæ Monachii edita eſt: vt & in refutatione Relationis ab Aduerſariis editæ: vbi etiam luculentam ad ea, quæ Prædicantes Catholicis abſurda inaniter obiecerunt, reſponſionem inueniet. Relatio de Colloquio. Examen Hunni. Relat.

DEMVM illud te non prætereat, Lector, quod tuo bono ſcire potes. Inuenies Seſſ. 13. pag. 288. manu indice, pro voce. TRADITAM ſuppoſitam eſſe vocem DESCRIPTAM eorum ſtudio, quorum commodo. Sed dictum eſſe, TRADITAM, non ſolum norunt ij, qui præſentes Colloquio fuere: Sed etiam tum antecedentia, tum conſequentia eiuſdem loci, tum protocolla à Notariis Catholicæ partis ſeorſim excepta, tum ea quæ Seſſione prima, & decima circa traditionem illam librorum canonicorum, apud aduerſarios in confeſſo fuiſſe intelliges, tum inprimis ipſum originale & authenticum exemplar Protocolli, manu Reuiſorum & Notariorum vtriuſque partis ſubſcriptum, in quo vox, TRADITAM leui litura ita oblita eſt, vt legi nihilominus ab omnibus poſſit, luculenter demonſtrant. Et bene eſt, quod rem hanc, nec ipſi quidem Prædicantes Neoburgenſes, ſuo *aut* ſuorum Collegarum, qui Colloquio huic interfuerunt, nomine *negant*, De voce *TRADITAM* aut *DESCRIPTAM*, *inquiunt*, cum paginæ Monacenſes in promptu non ſint,

non eſt quod moneamus, niſi quod falſo noſtratibus tribuitur, ob certum aliquod commodum, vnam aut alteram vocem fuiſſe immutatam. *Rem acu. Quiſquis enim dicit, eos ob CERTVM aliquod commodum eiuſmodi vocem ſuppoſuiſſe, extremè ſanè fallitur. Nam etſi vel maximum alioqui ſibi propoſuerint commodum, nullum tamen CERTVM ſperare poterant: nec iam hoc artificio ſuo, & Protocolli in præcipuo totius diſputationis puncto deprauatione, niſi certiſſimum incommodum reportant. Sed aiunt, ſe* apertè & candide in toto illo negocio *rem egiſſe. Verum nimis apertè iam & candidè Lectoris candore abutuntur. Se enim candidè voluiſſe decipere, ſuadere quidem poterunt quibus volent, perſuadere autem nulli prudenti. Quid enim hæc aduerſariorum diligentia ſibi velit, quiſque prudens ſuo Marte, abſque cuiuſquam admonitu, inſpecto, & perlecto eo loco, facile intelliget.*

Quod autem queruntur loca, quædam Scripturæ, à ſe, vt aiunt, in Colloquio recitata, finito Colloquio in Protocollum relata non eſſe, immeritò faciunt. Cur enim, finito iam Colloquio, in acta referantur ea, quæ nec in Colloquio à Notariis annotata fuerant, & de quibus etiam conſtare non poterat, an, & quomodo ab aduerſariis adducta fuerint: fortè enim, ſi in Colloquio excepta fuiſſent, inueniri potuiſſent plura ſimilia illis: Eſt qui iudicabit vos Moyſes. *Ioan. 5.* Petrus ait, *1. Pet. 3.* Quouis tempore reddendam eſſe rationem fidei, *&c. quæ quidem cum præclara ſint Prædicantium monumenta, nulla vnquam obliterabit obliuio. Accedit, quod nec teſtimonia, à Catholicis in Colloquio recitata, deſcripta in Protocollo omnia habeantur. Et certè Scripturæ allegationem Catholicis alioqui, vt ipſi aiunt, vehementer fuiſſe exoſam, vaniſſima Prædicantium calumnia eſt. Sed iam ſat præfationis, candide, & veritatis amans Lector, in cuius*

gratiam

Digitized by Google

gratiam hæc acta in lucem denuò proferuntur, Tu his fruere & vale.

HÆc ſunt, quæ contra datam fidem prætermiſit Hunnius, non alia haud dubiè de cauſa, quàm quia noluit hoc tam inſigne Prædicanticæ vanitatis monimentũ, tot argumentis roboratum, in ſuo ſcripto extare. Verum nunc eo magis hîc deſcribendum fuit, vt quaſi eorum quæ ſuperius fuſius diximis Synopſis, ob omnium oculos denuò poneretur, & vel ex hoc argumento diſcerent omnes, quam ſit Hunnio ſyncera & fraudis neſcia mens; qui circa vocem TRADITAM in ſuo examine ita cõtra nos deblaterauit, tanquam ſi accuſatio noſtra nudis verbis, nullis argumentis in præfatione fuiſſet tranſacta. Ita nec argumenta noſtra referre voluit, nec ad ea reſpondere potuit.

CAPVT XIII.

DE OCTOGINTA SEX ALIIS *abſurdis Hunnij, collectis ex ijs, quæ ipſe velut abſurda in ſuo examine præfationis Catholicis impingere fruſtra tentauerat.*

QVIA vindicare ſe de noſtris cupiebat Hunnius, & vt ait, *par pari referre*, idcirco cum initio non niſi octodecim aut viginti circiter, ſuo quidem iudicio, velut abſurda Catholicis obijceret, iam ad octoginta ſex numerat, vnum ſcilicet & idem multis numeris amplificans. Sed lepidè res accidit, vt Prædicans, dum noſtra vellet recenſere abſurda, ſua indicaret; cum partim falſo nobis quædam tribuat; quædam dicta verè quidem, ſed quæ adeò non ſint abſurda, vt eorum potius antitheſes ſint abſurdæ. Vtraque nos ergo iam (ſuppoſito tamen, vel ſubindicato nonnunquam in his vero & germano ſenſu noſtrarum Propoſitionum) conuerſa in eum eiuſq́;

Digitized by Google

eiuſúe Collegam Iacobum Hailbronnerum retorquebimus: id quod eò breuius fieri poterit, quod non ſolum plura ex ijs etiam ſuperius recenſita in abſurdorum Prædicanticorum catalogo reperiuntur, ſed etiam quod pleraq; ex ijs in Examine quoq; Hunnianæ Relationis prolixè pertractauimus, ad quod etiam Lectorem ſubinde remittemus, vt etiam ad Apologeticum pro Relatione Compendiaria à me perſcriptum. Abſurda ergo Prędicantium collecta ex Hunniano examine Præfationis ſunt iſta.

I. & II. Quod Prædicantes iniquiſſimis poſtulatis mouendis, de modo & medijs à Iudice Eccleſiaſtico in definiendo adhibendis, & traditionibus ſpecificandis, initio ſtatim Colloquij turpiſſimè ſunt tergiuerſati, de qua re ſupra in primo abſurdo ex ijs, quæ in præfatione notata ſunt.

III. Quod S. Petrus iubens SEMPER eſſe paratos ad rationem reddendam, de actu ipſo confeſſionis loquatur, de quo ſupra abſurdo 3. & 4.

IV. Quod traditiones, atq; adeo verbum non ſcriptum non ſit eiuſdem auctoritatis, cuius eſt ſcriptum. Auctoritas ſcilicet verbi diuini Prædicantium iudicio pendet à charta & atramento.

Vid. Apolog. Rela. De tradit.

V. Quod non liceat in enthymemate negare conſequens, de qua re in Examine Relationis Hunianæ cap. 8. *Vos Dialectici iudicate.*

VI. Quod quia Pontifex priuatim hæreticus fieri poteſt idcirco etiam poſſit errare in definiendo ex cathedra. Nihil enim capiunt Prædicantes, nihil intelligunt: neq; verò in ſuo Examine ſcit Hunnius, quid ſit cathedra, etſi quandoq; ſciuerit, vt ſupra oſtendimus; multò minus intelligit, aut intelligere vult, quid ſit ex cathedra definire. Plura alibi.

Cap. 7. abſurd. 14. Vid. etiam Apolog. Relat. de Phariſ. & Pont.

VII. Quod reſpondens non minus quam argumentans principium petat, de qua re in Examine cap. 8. vbi etiam ad exemplum Hunnij reſponſum eſt.

VIII. Quod in veteri teſtamento pro fœmellis non fuerit aliquod remedium externum, de qua re ſupra, & in examine cap. 10. & 20.

IX. Quod Scriptura paruulis veteris teſtamenti ante octauum diem mortuis promittat beatitudinem, etiam abſq; remedio aliquo externo. De hoc enim loquutum eſſe D. Gretſerum patet ex

omni-

omnibus antecedentibus & conſequentibus eius loci.

Quod baptiſmus tempore paſſionis Chriſti ante eius mortem iam obligauerit, & quod hoc probetur ex Ioan. 3. aut exemplo baptiſmi Ioannis, quē falſo & abſurdè Hunnius ratione efficaciæ ſalutis eundem cum baptiſmo Chriſti aſſerit. Sed de hac re infra. X. Cap. 14.

Quod latro beneficium (paſſionis Chriſti) ſibi non applicauerit etiam per ſuam mortem, quam patienter tolerando ſibi meritoriam fecerit, nec etiam vigore ſui ſupplicij patienter tolerati ſaluatus ſit; de quo cap. 10. Examinis. XI. & XII.

Quod infantes, qui ſine baptiſmo decedunt ſaluentur; de quo cap. 10. & 20. Examinis Hunn. Relat. & infra. XIII. Cap. 14.

Quod dici non poſſit Necromanticos (ſeu verè, ſeu in ſpeciem) mortuos exſuſcitare, cum tamen ipſam Samuelis animam exercente Pythoniſſa artem ſuam magicam, vere à Deo excitatam fuiſſe ſentiant viri omnibus Prædicantibus doctiores, Lyranus, Toſtatus, Caietanus, imo etiã S. Auguſtinus, & B. Thomas, vt fuſius probat noſter Benedictus Pererius diſſolutis rationibus contrarijs; quanquã profecto adeo acutas rationes pro ſua opinione alibi adducit Hunnius, vt quædã ex ijs virum adeo ingenioſum ac diligentem plane effugerint. Et tamen Hunnius in ſuo Apologetico pag. 117. ijs adeo inſolenter gloriatur, tanquã ſi meræ ſint demonſtrationes, cum pleræque ad ſtuporem vſque ridiculæ ſint. Quaſi verò oporteat Deum cooperatum malitiæ mulieris, ſi hac ſuperſtitionem ſuam exercente, Deus ex malo bonum eliciendo, (vt etiam factũ eſt cum Balaam Num. 22.) Samuelem tum ad maiorem huius gloriam, tum ob acerbiorem pœnam & condemnationem impietatis Saulis, interim à mortuis excitauit. Quaſi verò anima nõ potuerit Dei virtute, aut verum, aut fictũ corpus aſſumẽdo, viſibilis apparere, & quidẽ in ſpecie ſenis barbati, & pallio Samuelis ſimillimo amicti, cum tot ipſius Dei atq; Angelorum apparitiones in ſcripturis legamus. Quaſi verò ſi Deus Sauli, quia indignus erat, nec per viſiones, nec per Prophetas voluit antea reſpõdere, idcirco etiam non voluerit per defunctum Samuelem, ob maiorẽ huius gloriam, & Saulis ſupplicium reſponſum dare. Quaſi non potuerit Samuel ad Saulem verè dicere: *Hodie mecum* (id eſt

XIV.

Auguſt. lib. de cura pro mortuis cap. 15 Thom. 1. p. q. 89. a. 2. & in 2. 2. q. 174. art. 5. Pererius in cap. 7. Exod. diſp. 8.

apud

apud inferos, abſtrahendo à determinato loco) *eris*. Hæ ſcilicet
Eccleſ. 6. ſunt inuictæ illæ rationes, ob quas, cum contrarium, ipſomet
Hunnio agnoſcente, habeat liber Eccleſiaſtici, idcirco ex Canone Prædicantium, ac Hunnij iudicio, ſit eradendus.

XV. Quod ſit abſurdum, Aduerſarios monere, vt vel ad antecedens, vel conſequens reſpondeant.

XVI. Quod illa propoſitio Pſalmo 116. *Omnis homo mendax*, non patiatur exceptionem. (iuxta latinos. 115.) Ergone Chriſtus quoq;, & B. Virgo veri vtique homines, Prædicantibus dici debent mendaces? An ipſi potius blaſphemi & mendaces ſunt?

XVII. Quod ſimiliter etiam limitationem nullam patiatur illud Pſalmi 14. *Omnes declinauerunt*. Sic ergo procul dubio à Prædicantibus illud Geneſis 9. *Omne quod mouetur & viuit erit vobis in cibum*, etiam de pediculis, culicibus, pulicibus intelligendum erit, & illud quoq; 2. Tim. 4. *Omnes me dereliquerunt*, etiam de Tito & Timotheo.

Geneſ. 9.

2. Timot. 4.

XVIII. Quod fieri non poſſit, vt ſummus Pontifex ſit quoad ſuam perſonam malus, & ſimul in definiendo infallibilis: item quod priuata cæcitas obſtet, Deoq; proinde manus liget, ne per tales poſſit Deus aliquid veri docere, aliosque illuminare, quidquid Chriſtus dicat: *Super cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere.*

Matth. 23.

XIX. Quod Deuteronomij 17. Malach. 2. Hag. 2. Matth. 23. non mittat Deus Iudæos etiam ad Sacerdotes, aliquid extra Scripturam, (iuxta Scripturam tamen) pronunciantes &c. Scilicet ipſamet interpretatio Scripturæ ex ſola Scriptura, non ex traditione habebatur.

XX. Quod defectum priuatæ ſcientiæ non poſſit, aut velit Deus ſupplere in Iudice à ſe conſtituto, circa fidem aliquid definiente, & quod hoc fieri non poſſit, niſi iudex talis *duplicem mentem* habeat. Sed an Prædicantes vnam ſaltem mentem habent, vt relictis ſuis *palpabilibus mendacijs* rectè tandem ſapere diſcant? ſed de hac re plura in Apologetico pro Relatione.

XXI. Quod Chriſtus Matthæi 16. cauere iubens à fermento Phariſæorum
Matth. 16.

ſæc rum

ſæorum, non loquatur tantum de doctrina priuata Phariſæorum; ſed de publica illa atque adeo definitiua & iudiciaria. Scilicet Prædicantes miſeri neſciunt quid ſit publica, & quid priuata doctrina; & tamen eos docere poterat D. Gretſerus digreſſione 4. contra calumnias Hunn. Et nonnihil de eadem re à me actum eſt in Exam.cap.10. & alibi in Apologetico Relationis plura.

Quod abſurdum ſit dicere, poſſe ſingulos ſacerdotes errare, omnes autem ſimul in definiendo errare non poſſe. An forte Hũnius quoq; non ſolum poteſt ſingulos cereuiſiæ ſextarios exhaurire, ſed etiam omnes totius Saxoniæ? XXII.

Quod Aaron fuerit ſacerdos ſummus ſimpliciter, etiam, reſpectu Moſis in viuis exiſtentis, de quo in Exam.Hunn.Relat.cap. 16. & in Apologetico Relationis plura. XXIII.

Quod fides interior cum peccato mortali, aut externa idololatria conſiſtere non poſſit. Mendacia autem & fraudes ſui labyrinthi inueniet Hunnius notata & iugulata à D. Iacobo Gretſero in labyrintho Cretico Hunniano. XXIV.

Iacob. Gretſ. Labyrinthus cretico-hunnianus.

Quòd circa ea, quæ quoad ædificationem altaris, vituli erectionem, promulgationem celebritatis feciſſe legitur Aaron, nõ tam permiſſiuè ſe habuerit, quam ipſemet omnia fecerit, Prædicantibus, vt apparet, ſimul & cæmentarius, & aurifaber, & præco, ſummus plane non tam pontifex, quam opifex, de quo etiam ſupra, & in Exam. Hunn. Relat. cap. 11. XXV.

Cap. 7. abſurd. 12.

Quod ſi pontifex poteſt errare errore perſonali, & vt priuatus homo, poſſit etiam errare errore iudiciali, & vt pontifex, atque adeo in definiendo, de quo paulò ſupra, & plura in Apologetico Relat. XXVI.

Quod pontifex, etiam cum nihil definit, ſed in facto ſolùm vt homo priuatus errat V. G. ædificando hæreticis templum, aut exterius honorem idolo deferendo, adhuc tamen in ſuo *officio iudicis* errare dicatur. XXVII.

Quod cathedra Moſis etiamnum ad Chriſtianos pertineat: item quòd in cathedra Moſis ſedere nihil ſit aliud, quam ſonare ſine explicare doctrinã Moſis, eo modo, quo id nunc etiam Chriſtiani Doctores facere ſolent. XXIIX.

Digitized by Google

Deut. 32. Quaſi verò hoc Dei præceptum conſiſtere non poſſit cum illo Ezech. 20. quo prohibet Deus, ne filij peccata parentum imitentur, ſed, vt ſua potius præcepta obſeruent, præcipit.

Quod pij Reges olim in ſuis Reformationibus nō reſpexerint etiam ad ductum rationis naturalis. Vnde ergo, ô cæce Prædicans, colligit Dauid ſibi in neceſſitate licitū eſſe, comedere panes propoſitionis? Vnde Machabæi licitū ſibi eſſe pugnare die Sabbathi? vt alia taceam. An tu non adhibes rationem cum ſcripturam interpretaris? aut in tuarum Eccleſiarum Reformatione laboras? An homo vecors & ſine mente es? An falsò diuinus Propheta, quærēti: *Quis oſtendit nobis bona?* reſpondet: *Signatū eſt ſuper nos lumē vultus tui Domine*: lumē ſcilicet naturalis rationis diuinitus mēti impreſsū? An impie Auguſtinus? *Contra rationem nemo ſobrius: contra ſcripturas nemo Chriſtianus: contra Eccleſiā nemo pacificus ſenſerit?* XXXVI. 1. Reg. 21. 1. Machab. 2. Pſal. 4. Auguſt. lib. 4 de Trin. c. 6.

Quod exempla illa Seſſ. 4. à me producta, de pileo & cornibus non apte declararint rem, de qua agebatur, nempe ſcripturā ideò imperfectam non eſſe dicendam, tametſi non omnia, quæ credenda ſunt, in ſpecie contineat: niſi forte putat Hunius, cornua quoq; ad ſui perfectionē ſpectare. Et quamuis ego hæc ſolū adduxerim, vt exēpla, quibus oſtenderē, non cuiuſuis perfectionis abſentiā rei cupiam imperfectionē inducere, non vt ſimilia, quibus ſcripturā conferrem; ſi tamē id maximè feciſſem, quid in ſacram ſcripturam contumelioſum feciſſem? An forte Hunius dicet, Chriſtum quoq; *ſcabioſis ſimilibus conſpuiſſe* regnum cœlorum, quando illud comparauit *ſagenæ miſſæ in mare, fermento, grano ſinapis.* &c. XXXVII. Matth. 13.

Quod ſine contradictione non poſſit aſſeri, ſcripturam eſſe perfectam, & tamen per ſe ſolam non ſufficere homini, ad eum finem conſequendum, ob quem condita eſt, nimirum ad doctrinam, & ad redarguendas hæreſes, hominemque perfectū reddendum, & tandem ad ſalutem hominis externam &c. Quod ſi ita eſt, tum ergo, vt ſua ſcripturæ perfectio cōſtet, nemo amplius baptizetur, nemo abſoluatur, nemo corpore Chriſti paſcatur, nemo credat, nemo diſcat, nemo doceat, è mundo eijciatur vniuersū Prędicantiū miniſteriū, quandoquidē ſcriptura (vt aiūt) per ſe ſola ſufficit ad doctrinā, ad redarguendas hæreſes, ad ſalutē. An ne vel ob hanc vnicam inſaniam hoc non meremini Prædicantes? Quod XXXIIX. Vid. Apolo. Relat. cap. 7.

 ſi præ-

ſi præter ſcripturam, veſtrum adhuc miniſterium putatis eſſe neceſſarium, quod veſtra etiam confeſſione, abſolute loquendo, fallere poteſt, cur ex illa ſcripturæ perfectione & ſufficientia ſuum miniſteriũ Catholicis vultis ademptũ, quod noſtra quidem ſententia fallere non poteſt?

XXXIX. Quod præceptum illud Deut. 12. de non addendo, ideo ſimpliciter loquendo magis ad ſacerdotes ſpectet, quam ad populum; quia ſacerdotum erat ex profeſſo tractare diuinum cultũ, de qua pulchra argumentatione, quam Huñius pro demonſtratione habuit, vide Exam. Hunn. Relat. cap. 10.

XL. Quod ſacerdotes non ſolum in priuata doctrina (quod fruſtra probat Hunnius) ſed etiam *in definiendo* tanquam pontifices & ſupremi iudices in terris errare potuerint, quod nullo exemplo ſeu noui, ſeu veteris teſtamenti in æternum probare poterit Hunnius.

XLI. Quod Hunnius cum ſuo Collega non magis, probare potuit, ſcripturam continere expreſſe omnia dogmata fidei & cultus, quã quod quartũ præceptum decalogi contineat omnia cætera præcepta, tametſi in ea re octo fere ſeſſionibus deſudarit, vt ex protocollo Lector intelligere poterit.

XLII. Exod. 34. Quod ſit abſurdum verba illa Exod. 34. *Scripſitq; in tabulis verba fœderis decem*, ad Moſen referre, cum tamen non ſolum verborum contextus id quodammodo exigere videatur; ſed ſic etiam ex inſtituto docuerit Auguſtinus, cuius hæc ſunt verba: *Et ſcripſit in tabulis teſtamenti decem verba. De Moſe dictum eſt, quod ipſe ſcripſerit, cui etiam Deus paulo antè dixerat, ſcribe tibi verba hæc. Cum vero primum legem accepit, cuius tabulas abiecit & fregit, nec ipſe excidiſſe dictus eſt tabulas lapideas, & modo dictum eſt: Excide tibi duas tabulas lapideas; nec ei dictum eſt, vt ſcriberet, ſicut ei modo dicitur; nec eas ipſe ſcripſiſſe narratur, ſicut modo narrat ſcriptura, & dicit: ſcripſit in tabulis teſtamenti decem verba.* Et infra: *Proinde*, inquit, *magna oritur quæſtio, quo modo illæ tabulæ, quas erat Moſes, Deo vtiq; preſciente facturus, non hominis opus eſſe dicantur, ſed Dei, nec ab homine ſcriptæ, ſed ſcriptæ digito Dei. Poſteriores vero tabulæ* (de quibus in eo loco Exodi ſermonem eſſe conſtat) *tam diu manſuræ, ac in tabernaculo ac templo Dei futuræ, iubente quidem Deo, tam ab homine exciſæ*

Auguſt. lib. 2. qq. q. 66. in Exod.

excisa ſunt, quã ab homine ſcripta &c. Ita Auguſtinus, & ex eo gloſſa ordinaria in illum Exodi locũ, quos etiam ſi libet, abſurdos vocare poterit Hunnius; qui longe profecto ſapientius inter ſe ſcripturas compoſuiſſet, ſi cum Lyrano dixiſſet: *Poteſt etiam aliter dici. ſcilicet quod Moſes manus ad tabulas appoſuit, ſed Dominus tunc litteras miraculosè formauit, ſicut ad impoſitionem manuum Apoſtolorum dabatur Spiritus ſanctus.* Ita Lyranus. Sed Hunnius delirare maluit, quam cum Lyrano ſapere.

Quod rurſus mihi tribuere audet Hunnius, quaſi dixerim, illud Deuter. 12. Obſerua omnia quæ præcipio tibi &c. Eſſe INTELLIGENDVM tantum de præceptis, quæ tunc tradebat, cum ſolummodo dixerim, tunc quidem Deum *aperte tantum locutum* eſſe de præceptis tunc traditis, nec interim negauerim, per cõſequentiam id etiam ad reliqua præcepta accommodari poſſe. Et certe nec è ſuis quidem mihi vllum monſtrabit auctorem, qui aſſerat, tunc Deum de omnibus præceptis, etiam poſtea primum tradendis loquutum fuiſſe cum per ſe incredibile videatur, Deũ mandaſſe obſeruari mandata nondum à ſe tradita. De qua re in Exam. Hunn. Relat. cap. 10. XLIII. Hunn. mend.

Quod *per Apoſtolos & Prophetas diuina auctoritate, de lege diuina* (Moſis) *multa detracta* (hoc eſt omiſſa ſiue antiquata) nõ fuerint. Igitur Apoſtoli & Prophetæ non erant, qui in Concilio apoſtolico congregati circa legẽ Moſis hæc tantum decreuerunt ſeruanda: *Abſtinere ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* Nec Apoſtolus aut Propheta fuit Paulus, cum ait: *Translato ſacerdotio, neceſſe eſt, vt legis translatio fiat*: & infra: *Reprobatio fit quidem præcedentis mandati propter imperfectionem*: Et rurſus: *Dando nouum veterauit prius.* Et rurſus alibi: *Legem mãdatorũ decretis euacuans.* Sed quid mirum, Hunnium erga Moſis legem tanta moueri zelotypia, cui *cathedra Moſis eſt æterna?* XLIV. Actor. 15. Heb. 7. Heb. 8. Epheſ.

Quod vel omnes, vel vlla omnino hæreſis ſit refutata, aut porro refutari poſſit ex ſola ſcriptura, ſecluſa traditione, & infallibili præſentis & viventis Eccleſiæ auctoritate. De qua re prolixè in Exam. Hunn. Relat. Certe quidem ſi S. Paulus per ſuã epiſtolam ad Corinthios, aut epiſtolam ad Timoth. 2. ſufficienter XLV. & XLVI. Cap. 10. & 20.

Vid. Apol.Relat. cap. 7. refutauit hæreſim negantium reſurrectionem, id factum non eſt, ſecluſa aliqua infallibili Eccleſiæ tunc viuentis auctoritate, neque etiam ſepoſita traditione,per quam de ipſis illis epiſtolis cõſtaret, eas vere S. Pauli eſſe, quod niſi ſtulti forent aduerſarij, tandẽ ſane aliquando intelligerent. De cõmunione vero ſub vna ſpecie infra.

Cap.14: abſurd. Prædic.53.

XLVII. Quod ſepoſita traditione, ex teſtimonio Chriſti & Apoſtolorũ in Euangelica hiſtoria, conſtet ſcripturam veteris teſtamenti eſſe canonicã. De qua re fuſè ſupra, & in Exam. Rel. Hunn. cap. 18.

XLIIX. Quod abſurdè dictum ſit, *myſterium incarnationis, Redemptionis, & ſimilia quædam* alia (dogmata, non controuerſias, vt fingit Prædicans, quantum eſt ex parte ſcripturæ, de cuius claritate & obſcuritate tunc agebatur) eſſe facillimæ intelligẽtiæ, ita ſcilicet, vt aperte ſatis in ſcripturis contenta facile à quouis generali quadam notione ex ſcriptura colligantur. Sed quid Auguſtinus? *Qui non credunt, Chriſtum in carne veniſſe, de virgine Maria* (quod eſt ipſum incarnationis myſterium) *ex ſemine Dauid, quod APERTISSIME ſcriptura Dei loquitur &c. non vtiq; ſunt in Eccleſia, nec in aliqua diuinarum ſcripturarum obſcuritate falluntur, ſed notiſſimis & apertiſſimis earum teſtimonijs contradicunt.*

Aug. de vnit. Eccl. cap. 6.

XLIX. Quod Apoſtoli omnia, quæ ad Religionem neceſſario ſpectãt, & ſcripſerint, & populis prædicauerint. Nimirum multũ laborabant Apoſtoli, vt populis ad fidem conuerſis aut conuertendis omnia, quæ ad Eccleſiaſticam hierarchiã, ad ſacramentorum adminiſtrationem, ad miniſtrorum ordinationem ſpectabant, innoteſcerent. Nimirum nulla ex parte explicatiorem fidem aut cognitionem habuerunt Apoſtoli, quam plebeij fideles, neq; verũ eſt, quod S. Paulus ſapientiam locutus fuerit *inter perfectos.* Et vbi ſcripſit aut prædicauit S. Paulus, ſuas omnes epiſtolas canonicas eſſe? Plura in Apologetico Relat. c. 6.

1. Corinth. 2.

L. Quod, vt volunt Prædicantes, remota Eccleſiæ auctoritate, hæreſes ſe ex ſcripturis tueri non poſſint; cum tamen omnes quaſi hæreticos ſuis erroribus defendendis ſcripturas prætexere ſolitos fuiſſe, luculenter à me alibi demonſtratum ſit. *Si enim,* vt cum Melchiore Cano loquar (intelligentia diuinæ ſcripturæ) *ad priuatam regulam dirigitur, vnde euincetur Heluidius de perpetua Maria*

Relat. part. 1. cap. 11.

riæ virginitate? vnde Arrius de vera Dei in Chriſto natura? Sed hac de re adeo luculenter à me alibi actum eſt, vt vere dicere poſſim, verbis Hunnij parum mutatis; *Num ad tam apertam lucem vultis adhuc cæcutire vos* pſeudoeuangelici? Can. lib. 3. loc. Theol. cap. 2. Exam. Hunn. Rel. cap. 20.

Quod cum in ſumptione Euchariſtiæ vna ſpecies omittitur, ipſi ſacramento deſit ſubſtantialis pars, cum tamen ſumptio nullo modo ſit huius ſacramenti pars ſubſtantialis, vt centies contra aduerſarios probarunt Catholici. Sed de hac re plura infra. LI. Cap. 14. abſurd. Prædic. 53.

Quod ſubditi poſſint Pontificis ac ſupremi iudicis Eccleſiaſtici in terris ſententiam examinare. De qua re ſupra, atq; etiam de exẽplo Berœenſium & ceteris ſcripturæ teſtimonijs quæ Hunnius ad hanc rem comprobandam inepte protulit, infra. LII. Cap 3.

Quod in dubio ſubditi non teneantur in quauis bene ordinata politia, depoſito dubio, ſtare ſentẽtiæ ſui legitimi magiſtrat', ſuũq; iudiciũ ſuperioris ſentẽtiæ latæ in re ad eius iuriſdictionẽ ſpectãte, conformare; eſto quod ea forte re ipſa ſit erronea: quodq; hoc ſit difficillimũ etiã manſueto & promptæ obedientiæ Chriſtiano: imo etiã periculoſum, quaſi vero nõ ideo ſit apud Deum excuſatus ſubditus, ſi quando forſitan accidat, eum in re dubia ex tali obſequendi ſtudio erroneam ſui magiſtratus ſententiam (qualis quidem Summi Pontificis in cauſa dubia Religionis definienda eſſe non poteſt) ſequatur, de qua re prolixe in Examen. Hunnia. Relation. cap. 13. Et certè quidem hoc abſurdiſſimum Aduerſariorum dictum, vel ex ipſis ſcripturarum locis refutatur, quibus ſuũ inepte probare nituntur. Si enim *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ ſunt Dei Deo* reddenda ſunt Matth. 22. ergo vtique Cæſari in rebus ad ſe ſpectantibus aliquid decernenti à ſubditis obtemperandum erit, modo ne conſtet Cæſaris decreta diuinis mandatis repugnare. II. Si *oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Actor. 5. ergo oportet etiam magis ſequi ſententiam legitimi magiſtratus, vtpote in rebus ad eum ſpectantibus auctoritate diuinitus accepta lãtã, quamdiu nõ conſtat eam malã eſſe, quã propriũ iudicium. III. Si nihil hæſitante conſcientia faciendũ eſt. Rom. 14. ergo ex hac parte nihil obſtat, quo minus ſubditus in re, quæ aperte mala nõ eſt, depoſita hæſitatione ac dubitatiõe, poſſit ac debeat ſupe- LIII. LIV. LV. LVI. LVII. LIIX. LIX. LX. LXI. Cap. 14. Abſurd. Prædic. 69. Matth. 22.

Digitized by Google

ſuperioris ſui ſententiam ſequi. IV. Si *cum cæcus cæcum ducit, ambo in foueam, cadunt* Luc. 6. quantò magis periclitatur cæcus ſubditus, qui legitimi, & non cæci, ſed probabilibus rationibus ducti iudicis ſui Iudex & Doctor eſſe contendit. Et ſane, licet ea ſententia non vno in loco Chriſtus vtatur, nuſquam tamen eam adhibet ad auocandos ſubditos ab obedientia legitimo ſuperiori præſtanda, cum aliquid in re dubia faciendum decreuit: ſed loquitur tantum aut de pari reſpectu paris minus ad docendum apti, vt videre eſt Luc. 6. aut Phariſæis quoad eam doctrinam, quã Chriſtus ipſe ſupremus in fidei cauſis magiſtratus iam aperti erroris damnarat, vt patet Matth. 15. Quo modo nos ipſi etiam libenter fatemur, tam ipſos Prædicantes quaſi *cæcorum duces*, quam miſere ab eis ſeductos, in æternæ damnationis periculo verſari, nî reſipiſcant; quandoquidem nõ modo legitimi ſuperiores in cauſis Religionis nec ſunt, nec eſſe poſſunt; ſed vel ob hoc etiam, quod cũ eorũ errores à legitimo magiſtratu dãnati ſint, nemo eis tutò adhærere poteſt. V. Si quiſque *opus ſuum* probare iubetur & vnuſquiſque *onus ſuum* portabit Galat. 6. an ideo debet ſubdit⁹ iudicate ſuperiorem? an non potius ob hanc ipſam cauſam, vt ſubditus ſuum opus Deo probet, & onus ſuum velut ſubditi rectè portaſſe cenſeri poſſit, debebit ſuis præpoſitis legitimis, in rebus ad eorum iuriſdictionem pertinentibus, nec apertè malis, ſine cunctatione obedire? Sed hæc ſcilicet ſunt illa ſcripturæ loca, ad quæ à Prædicantibus extra propoſitum ſolo tergiuerſandi ſtudio vaniſſimè obiecta, *in colloquio obmutuerunt & obbrutuerunt Suita*, vt Hunnius loquitur, qui ſi *brutus homo* non eſſet, de tali vanitate ſua procul dubio erubeſceret.

LXII. LXIII, LXIV. Quod ſit aut falſum, aut blaſphemum, dicere, ſpiritum ſanctũ, *quatenus* (vt in ipſo Colloquio explicatum eſt) *præciſe per ſcripturã loquitur*, vt hactenus ſemper locutus eſt, non poſſe eſſe Iudicem controuerſiarũ fidei in hoc mundo, quæ tamen eſt implicatio cõtradictionis, vt etiam ſupra diximus. Quod ſi modus tantum loquendi tantopere eis exoſus eſt, tunc viderint, ne ſcripturæ quoq; ſuam calumniam impingant. Nam etiam Gen. 19. Deus per Angelum loquens ad Loth ait: *Feſtina & ſaluare ibi: quia non potero facere*

tere quicquam, donec ingrediaris illuc. Et Hieremiæ cap. 44. dicitur: *Et non poterat Dominus vltra portare propter malitiam.* &c. Et S. Marcus de filio Dei cap. 6. ait: *Et non poterat ibi virtutem vllam facere.* His & ſimilibus ſcripturæ locis ſi lubet adſcribant ſuam illam notam hæretici: *Blaſphemia.* Aut ſi malunt, *appungant deſuper,* quaſi incredibile ſit, vt Hunnij fratres Iudæos alicubi in ſcriptura feciſſe notauit S. Hieronymus. Sed ad hanc Aduerſariorum calumniam prolixe reſpondit P. Iacobus Gretſerus tum in reſponſo ad theſes Hunn. cap. 18. tum in digreſſione 5. contra Hunnium, & nonnihil etiam à me dictum eſt in Relat. de Colloq. part. 2. cap. 2. & in Exam. Hunn. Relat. cap. 13. Hieron. in tradit. hebraicis in Geneſ.

Quod locus ille Ioannis 3. *Qui non credit, iam judicatus eſt,* intelligendus ſit de aliquo judicio manifeſto, finiente lites, aut controuerſias dirimente in hoc ſæculo: cum ipſimet Prædicantes hoc judicium magna ex parte reijciant ad extremũ judicium, ad cuius latebras miſeri toties confugiebant. Itaq; tametſi nihil ex inſtituto ad hunc locum reſponſum ſit, ſed is potius velut extra diſputationis formam, ſolo tergiuerſandi ſtudio obtruſus, non male tamen, vt in Colloquio inſinuatum eſt, ſic explicatur locus ille: Qui non credit, iam in ſe condemnationis cauſam & materiam habet, ac proinde reus iam eſt ſententiæ æternæ damnationis in extremo judicio non credentibus infligendæ. Vide digreſſionem 5. Iacobi Gretſeri contra calumnias Hunnianas. LXV. Ioan. 3.

Quod ille, qui cum S. Paulo 2. Theſſal. 2. aſſerat, Antichriſtũ ſemet eleuaturum *ſupra omne, quod dicitur Deus,* aut quod colitur, atq; adeò dicturum, ſe maiorem eſſe quolibet hactenus agnito ab hominibus Deo, euertat illam Catholicorum & SS. Patrum opinionem, aſſerentium, Iudæos Antichriſtum pro Meſſia accepturos eſſe, juxta illud Chriſti Ioann. 5. *Ego veni in nomine Patris mei & non accepiſtis me; Si alius venerit in nomine ſuo illũ accipietis:* quandoquidem, vt ait Pſeudopropheta Hunnius, nunquam in eam opinionem induci poterunt Iudæi, vt ſibi perſuadeant, Meſſiá eſſe Deum. Quaſi verò neceſſe ſit, Iudæos proprij ſenſus adeo tenaces eſſe, vt nullis ſeu promiſſis, ſeu præſtigijs, ab vno errore in alium pertrahi poſſint. Legat quæſo Hunnius quid S. Paulus de hac re LXVI. 2. Theſſ. 2.

Digitized by Google

LXVII. ſcribat: 2. ad Theſſ. 2. *Eo quod charitatem*, inquit, *veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Legat item quæ non ſolum S. Lucas Actorum 5. ſed etiam Ioſephus lib. 20. antiquit. cap. 4. & cap. 12. & libro 2. de bello Iudaico cap. 12. de varijs ſeductoribus Iudæorum ſcribunt. Equidem Iudæorum res geſtas conſiderans, obſtupeſco in ſumma pertinacia, ſummã inconſtantiam ac varietatem. Quis enim quæſo adhuc vigente & durante lege Moſis, ſæpius, turpius, peruicacius diuinas Dei leges maiorumq; inſtituta ac cæremonias violauit? Quis ad alienos & illicitos etiam Idololatrarum cultus nullis nec rationibus, nec ſignis confirmatos pronius declinauit? E conuerſo quis in toto terrarum orbe populus hoc tempore, quo, per Chriſtum noua lege promulgata, lex Moſis antiquata, ſuisq; cultoribus diuina iuſſione pernicioſa facta eſt, patrijs moribus pertinacius inhæret, & ad alienam religionem, non dico idololatricam naturali rationis lumini aduerſantem, ſed veram & Chriſtianam tot ſignis & prodigijs adeo magnifice confirmatam difficilius inflectitur? An non ergo, vt in hac re ſummè quidem varium, ſed nihilominus ſemper tamen in malum proiectum fuit Iudæorum ingenium, à Deo ſcilicet in reprobum ſenſum datum, ita etiam fieri poterit, vt quamuis Chriſtum verum Meſſiam, tot ſignis & prodigijs demonſtratum pro vero Deo minime receperint, olim tamen vel abſq; ſignis adeo ſtupendis Antichriſtum pro vero Deo recipiant. Neq; verò opus erit (quod ex noſtra ſententia inepte colligit Hunnius) vt Antichriſtus dicat, ſe eſſe maiorem, aut aliũ Deum, quam ſit ille, per quem ex Aegypto educti ſunt. Sed ad noſtrum, ſanctiq; Pauli pronunciatũ tuendum, ſatis erit dicere, quod ipſe ſit ille verus Deus, qui eos ex AEgypto eduxerit, qui cœlum, terramq; creârit, ſuoq; imperio teneat omnia. Quia nihilominus adhuc verum erit, quòd Antichriſtus veri & cuiuſcunq; alterius Dei cultu eliminato, ſe ſolum pro Deo haberi, cæteriſq; omnibus anteponi cupiet. Anne ergo Hunni tua carioſa *nux* quaſi per ludibrium *confracta* eſt? Sed pergamus ad ſequentia tua abſurda.

LXVIII. Quod cum Catholici ſuo tempore obtulerint ſe ad diſputandum de Antichriſto, ideo licitum fuerit Hunnio, etiam ante tempus,

pus, neque iam per modum diſputationis, ſed quaſi dicta iam & deciſa cauſa, Pontificē appellare Antichriſtū, de qua imani calumnia, vt & de annexis Hunnij mendacijs dictū eſt in Exam. Hunn. Relat. cap. 19. & 23. præter ea, quæ in Relat. part. 2. cap. 5. diximus, & à me prolixè tractantur in Apologetico Relationis cap. 14. 15. 16. 17.

Quod, ſi forte quæſtio moueatur, an omnino ſint aliqui libri ſacri & canonici, poſſit ex ſola ſcriptura ſepoſita Eccleſiæ auctoritate, ſufficienter colligi & probari, eſſe aliquos libros ſacros & canonicos. De quo abſurdo *horribili*, vt loquitur Hunnius, fusè à me actum eſt in Exam. Hunn. Relat. cap. 18. LXIX.

Quod articuli fidei generatim appellari non poſſint, & aliquando ſoleant quælibet propoſitiones fidei, quales ſunt illæ, de fonte paradiſi, de cane Tobiæ, de aſina Balaam, & ſimiles non modo centum, vt ait Prædicans, ſed etiam SEXCENTÆ. De qua re in Exam. Hunn. Rela. cap. 14. Illud nunc addo, hanc articuli acceptionem nec S. Thomæ quidem incognitam fuiſſe, vt patet 2. 2. q. 7. a. 6 Vbi in argumento ſecundo ita loquitur: *Nullus debet examinari de eo, quod explicitè credere non tenetur: ſed quandoq; ſimplices examinantur de* MINIMIS ARTICVLIS FIDEI: *Ergo omnes tenentur explicitè omnia credere.* Vbi per minimos articulos intelligit etiā quaſdam fidei ſubtilitates, quas abſolutè & per ſe alioqui non omnes fideles credere tenētur, vt ex reſponſione eius ad hoc argumentū patet: licet S. Thomas alias ſtrictius etiā hanc vocē ſumere ſoleat, LXX. LXXI. LXXII. LXXIII.

Quod illud pronunciatum Prædicantium, de fide actuali infantium, non ſit paradoxum & euidenter falſum, de qua re tum in Colloq. Seſſ. 12. tum in Exam. Hunn. Relat. cap. 19. LXXIV.

Quod ridiculè & abſurdè à nobis fuerit illa infantium actualis fides refutata, ex eo, ꝙ ſi infantes dum baptizantur crederent, à ſacrilegio excuſari nō poſſent, de qua re in Exam. Hunn. Relat. ca. 14. LXXV.

Quod peccauerint olim Eccleſiæ Africanæ infantibus dando Euchariſtiam. Quanto ſapientius Concilium Tridentinum: *Neq; ideo tamen,* ait, *damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem, in quibuſdam locis aliquādo ſeruauit. Vt enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilē cauſā pro illius tēporis ratione habuerūt; ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controuerſia credendū eſt.* Itaq; falſum eſt, id eſſe vo- LXXVI. Conc. Trid. Seſſ. 21. cap. 4.

 luntati

luntati inſtituentis contrarium. Falſum quoq; & juxta Prædicãtes
1. Cor. 11. tripliciter falſum eſt, dum ait Hunnius, eos per præceptum Apoſtoli 1. ad Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo* &c. excludi ab huius ſacramenti vſu. Nam nec ad infantes hoc præceptum ſpectat, quod illi exequi non poſſunt; nec ſi ad eos ſpectaret, id communicando violarent: quandoquidem loquendo ſaltem de obligatione ſub peccato mortali, id tantum prohibet, ne quis peccato mortali obnoxius ſine legitima pœnitẽtia ad illud accedat. Infantes autẽ baptizati (de his enim loquimur) cum à peccato mortali ſint penitus immunes, nullum illius legis violandæ periculum communicando poſſunt incurrere. Tertiò ſi maximè etiã peccare infantes poſſent, adhuc tamẽ juxta ſua principia Aduerſarij ſtolide negarent, eos & probare ſeipſos, & communicare licite poſſe. Nam cum Pſeudoeuangelicis iſtis probatio omnis in fide conſiſtat, & vero, vt aiunt, infantes primo ætatis anno dum baptizantur credere poſſint, cur quoad ætatem vno aut altero anno vel menſe prouectiores, nõ fortius credant? An ipſorum infantes quantum ætate creſcunt, tantum ſapientia & gratia coram Deo & hominibus decreſcunt? An potius ipſi ſine ratione inſaniunt?

LXXVII. Quod nouum illud, & ab orbe condito inauditum paradoxũ, nec ratione vlla, nec minimo ſcripturæ apice munitum, de fide actuali infantium, dum baptizantur, in gratiam Prædicantium credendum ſit, priuſquam ex eorum numero quiſpiam, id vel ſua, vel ſui alicujus infantis experientia teſtatum faciat, & teſtetur, ſe nimirum, vel alium ſuæ fidei conſortẽ, habitæ actualis fidei in adulta ætate meminiſſe, de qua re in Exam. Relat. cap. 14.

LXXVIII. Quod quiſquam debeat certo, euidenter, & infallibiter ſcire, ſe eſſe recte ac verè baptizatum, de qua re ſupra, & in Exam. Hunn. Relat. cap. 19.

LXXIX.
LXXX. Quod manifeſtam cõtradictionem implicet, aliquem ex parte ipſius baptiſmi certum eſſe de effectu baptiſmi, & ex parte tamẽ conferentis de effectu & valore baptiſmi certum non eſſe. Stolidi nimirum ſunt Prædicantes, nec quid ſit, aut quando accidat cõtradictio intelligunt. Eſtnẽ hæc contradictio, Hunni, ſi quis dicat: Ego certò ſcio, ex parte ipſius Dei ſiue ſacramẽti baptiſmi ſecun-

dum

Digitized by Google

dum ſe nullum eſſe defectum, quo minus baptiſmi effectum conſecutus ſim: attamen quia ad eius effectum & valorem requiritur etiam certa quædam diſpoſitio & intentio, tum ex parte adminiſtrantis, tum ſuſcipientis baptiſmum, idcirco ex hac parte euidenter ac infallibiliter certus non ſum de valore & effectu mei baptiſmi. Purga caput Prædicans, & intellige quod hactenus non intellectum calumniaris. De *diabolica* vero Hunnij *deſperatione*, quam hinc exſtruere nititur, dictum eſt à me in Exam. Hunn. Relat. cap. 14.

Quod ſit caſſa reſponſio in enthymematis prædicanticis negare conſequentiam: niſi forte quia talis reſponſio Prædicantium argumenta plane caſſa reddit: de qua re in Exam. Hunn. Relat. ca. 8. LXXXI.

Quod Chriſtus, Apoſtoli, & SS. Patres, quando cum contumacibus agebant, Aduerſarios quantum in ſe erat, non ſemper coegerint ad breue & diſertum reſponſum, omiſſa verboſa declamatione, propoſitæ quæſtioni dandum, de qua re in Relat. part. 3. cap. 3. Certè Chriſtus Ioann. 3. cum Aduerſarij ad illam quæſtionem propoſitam diſerte reſpondere nollent: *Baptiſmus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus?* non vlterius progrediendũ exiſtimauit. Quam autem malè Hunnius ſcripturas legit, dum pag. 201. & 472. aſſerere auſus eſt, *ne vnum quidem exemplum oſtendi poſſe in vniuerſa ſcriptura, integri alicuius ſyllogiſmi, in ea forma & poſitu, quam præciſe vrgebant Aduerſarij. Et in omnibus diſputationibus Seruatoris* argumentationem nullam *propius accedere ad formam ſyllogiſticam,* quam ea, qua Sadducæos refutauit Matth. 22. Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac & Deus Iacob: Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium, &c. quam in mea Relatione prius adduxeram. Sed accipe mi Hunni ſyllogiſmum Chriſti omnibus numeris abſolutum, Matth. 12. *Omne regnum diuiſum contra ſe deſolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuiſa contra ſe non ſtabit*: (Ecce maior) *Et ſi Satanas ſatanam eijcit aduerſus ſe diuiſus eſt*: (hæc minor) *Quomodo ergo ſtabit regnum eius?* Ecce concluſio. Diſce igitur à Chriſto formam ſyllogiſticam Hunni. LXXXII. Ioan. 3.

Quod Scriptura propriè loquendo tanquam Iudex, vel ante, vel poſt Conciliũ Nicænum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, condemna- LXXXIII.

demnarit Arrium, Neſtorium, Eutychetem. De qua re in Exam. Hunn. Relat. cap. 12. 20. & 21.

LXXXIV. Quod, ſepoſita Eccleſiæ auctoritate, facillime non reſponderet Arrius, illud Rom. 9. *Qui eſt Deus benedictus ſuper omnia, referri ad Deum Patrem, non ad Filium*, de quo in Exam. Hunnian. Relat. cap. 21.

LXXXV. Quod multi ſancti & eruditi viri, etiam adhibito medio orationis, in multos errores (ſiue fundamentales, ſiue principales fuerint, de quo nihil à me in Colloquio diſputabatur) non ſint lapſi. Itaq; S. Irenæus, Papias & ſimiles ſancti etiam viri, qui in errorem Chiliaſtarum lapſi ſunt; item S. Cyprianus, qui baptizatos ab hæreticis rebaptizandos cenſuit, aut in errores lapſi non ſunt, aut ſancti non fuerunt, aut ſanctè non orârunt? An ita deſipis Hunni? an neſcis eſſe varias diuiſiones gratiarum? & hoc ipſum quandoque expedire ſanctis, vt non audiantur? nec omnia dona immediate à Deo ſolo orationis medio acquiri? ſed alijs ordinarijs quoque & à Deo inſtitutis medijs (quale in noſtro propoſito eſt Eccleſiaſtici iudicij auctoritas) vtendum eſſe? Diſce quæſo te, ſapere, Hunni, ne alioquin vel ob hoc tuum dogma, contra te tuoſque Symmyſtas conſurgat populus, licet iam à vobis ſeductus, ratus alijs Doctoribus ſibi opus non eſſe, ſed ſufficere orationis medium, priuatamque Scripturæ lectionem ac meditationem, vt quid credendum ſit, norit.

LXXXVI. Quod Prædicantes omnium hæreticorum defenſionem ſuſceperint, dum reiecta Eccleſiæ & traditionum Eccleſiaſticarum auctoritate, impiè contenderunt, ſolam ſcripturam eſſe vnicam normam & iudicem controuerſiarum. De qua re in Exam. Hunn. Relat. cap. 20. vbi etiam Lector contrarias Prædicantis calumnias potenter depulſas inueniet.

Atque hic tandem ſuum examen præfationis concludit Hunnius. Ego vero quia animaduerto illum eſſe numeri ſuarum abſurditatum propagandi adeo ſtudioſum, operæ precium eſſe duxi, illis, quas in præfatione quinquaginta notatas adeo beneuolis auribus excepit Hunnius, centum alias addere, quæ inter lectionem Protocolli obiter occurrebant.

CAPVT

CAPVT XIV.

DE CENTVM ALIIS ABSVRdis Prædicantium, in Colloquio commiſsis, in præfatione tamen non adnotatis.

BREVES erimus in his abſurdis commemorandis, vtpote quorum abſurditas facile per ſe eluceſcit. Illud tamen curabimus, vt quoad fieri poterit, ipſorũ Prædicantium verbis exprimantur, diligenter adnotatis Protocolli Monacenſis 2. editionis paginis, in quibus, qui volet Lector, ea facile reperire, & cum noſtro hoc catalogo conferre queat. Sunt ergo ſequentia.

I. Quod Iacobus Hailbronnerus ſtatim initio diſputationis adeo diligenter cautum ſibi eſſe voluit à forma dialectica, dum è Colloquio remoueri cupiebat *diſceptationes ſcholaſticas*. pagina 6.

II. Apertiſſimè mentiuntur Prædicantes, dum aiunt quæſtionem propoſitam, de qua in Colloquio diſceptandum erat, *præter ſpem & expectationem ſuam in dubium vocatam eſſe*. pag. 6. cum tamen eos minime latere potuerit, nullum vnquam ex noſtra parte in ea quæſtione cum eis conſenſiſſe.

III. Lepidum eſt illud, quod in oratione ſua ad Deum, circa propoſitum diſputationis thema tuendum, petunt auxilium *ad cæleſtem veritatem* INVESTIGANDAM, pag. 7. Cum tamen aliàs ita ſe inſolenter iactare ſoleant, ſe in hac re dudum ſibi exploratiſſimam comperiſſe veritatem, quam tunc primum *inueſtigare* cupiebant. Sed vtinam id ipſum ſeriò oraſſent. Inueniſſent fortaſſe melius, quam optaſſent.

IV. Aiunt in ſua theſi 12. Recens aduerſæ partis pronunciatum, « quo prædictam vnius normæ ac Iudicis conſtitutionem omnium « hæreſeon & confuſionis Babylonicæ cauſam atque ſcaturiginem « eſſe dictitat, minime catholicum & in vera Eccleſia Chriſti inau- « ditum

ditum eſſe arbitramur. Quibus verbis tria continentur mendacia. 1. hoc noſtræ partis pronunciatum eſſe recens. 2. eſſe minimè Catholicum. 3. in vera Chriſti Eccleſia eſſe inauditum. Quæ omnia apertiſſimis teſtimonijs Tertulliani, Auguſtini, Vincentij Lyrinenſis, quæ in Relat. de Colloq. par. 1. cap. 11. à me relata ſunt, refutantur.

V. Egregie dialecticum eſt illud Hailbronneri, cum ait, *non eſſe ſibi propoſitũ, per allata teſtimonia Iudicem demonſtrare, ſed normam. Aliud enim eſſe Iudicẽ demonſtrare, aliud normam, Iudex vero,* inquit, *ex norma* SEQVITVR PER SE DIRECTE.

VI. Feſtiuum eſt illud eiuſdem, qui cum ad petitionem Aduerſariorum enumeratas à Catholicis traditiones veteris teſtamenti refutare non poſſet, dicebat: *Petit Aduerſarius principium, pag. 23.*

VII. Quam formoſus eſt ille Syllogiſmus Hunnij, pag. 24. *Vbi nulla lex, ibi nulla prauaricatio; maſculis ante octauum diem morientibus non fuit data lex circumciſionis: proinde Deus immediata ſua virtute in illis operatus eſt regenerationem.* Sed melius ſic: Proinde Hunnius ineptus eſt Dialecticus, qui cum quinque terminis ſyllogizatur, & ſimul tamen dicit, *hoc eſſe reſpondere ex Scriptura.* Ibid.

VIII. Ibidem admittit Hunnius traditionem illam, quod libri Moſis ſint Moſis. Iam vero quia hac confeſſione theſin ſuam primam euerti animaduertit; ideo negat, ſe admiſiſſe aliquam traditionem fide diuina credendam extra Scripturam. Vid. cap. 11.

IX. Ineptum eſt illud Hunnij pag. 24. Deum in verbis illis Deut. 17. (*iuxta legem*) conditionaliter locutum. Quod ſi ita eſſet, ſequeretur, non tam ſacerdotes fuiſſe Iudices populi conſtitutos, quam populum Iudicem ſacerdotum.

X. Pag. 25. ait Hunnius, *altiſſimum eſſe ſilentium* (de illo remedio ſalutis externo pro fœmellis veteris teſtamentis, & pro maſculis ante octauum diem decedentibus) *in omnibus ſcriptis veteris teſtamenti, Iudæorum, antiquitatis, & Patrum.* Quod quam verum ſit diſcere poterit Hunnius ex digreſ. 2. Iacobi Gretſeri contra calumnias Hunnianas.

XI. Falſum & abſurdum eſt illud Hunnij, *Baptiſmum iam tunc* (tempore paſſionis Chriſti ante eius mortem) *obligaſſe.* Quod tamen

men

Digitized by Google

men non ſolum repugnat S. Bernardo, & communi Theologorum ſententiæ, ſed etiam refellitur ex Matth. 28. & Marci. 16. Bern. Epiſt. 77.

XII. Abſurdum quoque eſt illud eiuſdem, *id* (præcedens abſurdum) *probari ex Ioan. 3. & 4.* cum tamen illic in futuro loquatur Chriſtus: *Niſi quis renatus fuerit* &c. ſuo videlicet tempore cum præceptum baptiſmi à me feretur, vt ex ſimili modo loquendi colligitur Ioan. 6. Hinc verò ſolum colligatur, Apoſtolos ex voluntate Chriſti baptizaſſe, vt & infirmos curaſſe, lepro ſos mundaſſe, ægros vnxiſſe, Mar. 6. ex quo tamen nemo colligat præceptum à Chriſto fuiſſe alijs, eiuſmodi pietatis opera admittendi. Vid. cap. 6. & Exa. Hunn. Relat. Ioan. 3.

XIII. Acutiſſima eſt illa Hunnij conſequentia pag. 29. Latro ſaluatus eſt per *attritionem Chriſti* Iſaiæ 53. ergo non per ſuam attritionem. Cur non etiam in gratiam Hunnij addamus: Ergo etiam neque per ſuam fidem?

XIV. Similis eſt illa eiuſdem ibidem. *Chriſti meritum fuit pleniſſimum, exuberantiſſimum & abſolutiſſimum:* Ergo latro non fuit ſaluatus per ſuam contritionem. Quanquam ſi meritum Hunnius vocat abſolutiſſimũ, tanquam ſi abſq; omni conditione & reſpectu ad noſtram diſpoſitionẽ aut cooperationẽ nobis applicetur, turpiſſimè falſum eſt, cum vel ipſorum quoque Aduerſariorum confeſſione ſaltem ex noſtra parte requiratur fides.

XV. Tantundem etiam valet hæc conſequentia eiuſdem ibidẽ: Chriſtus ſatisfecit non tantum pro culpa, *ſed etiam pro pœna. Nam Chriſtus maledictio facta eſt, (id eſt ſuſtinuit pœnam pro nobis denunciatam) vt nos à maledictione legis liberaremur. Gal. 3.* Ergo non eſt opus propria ſatisfactione ad redimendam pœnam temporalem, nec etiam illa vim habere poteſt ad promerendum regnum cœlorum, ſed cur non etiam hoc modo argumentemur? Chriſtus eſt baptizatus pro nobis: Ergo nos baptizari opus non eſt. Chriſtus orauit Patrem pro nobis: Ergo nos orare pro nobis non debem⁹. Chriſtus reſurrexit *propter juſtificationem noſtram:* Ergo nos reſurgere opus non eſt. Et tunc contra Hunnium etiam concludemus. Chriſtus aſcendit ad cœlum pro nobis: Ergo Hunnius ad cœlum non aſcendet. Qui de his ineptijs Prædicantium plura volet Lector conſulat Bellar. tom. 2. lib. 4. de pœnit. præſertim cap. 14.

XVI. Conſimilis etiam eſt illa ſequela Hunnij pag. 30. *Si Deus*

Digitized by Google

in veteri teſtamento pepercit paruulis Niniuitarum quoad pœnam temporalem (quam ſcilicet nec commeruerant ipſi, nec Deus in illos proprie deſignauerat) *magis vero ſimile eſt, etiam peperciſſe eum paruulis ex ſemine Abrahæ natis, quoad pœnam ſempiternam* (infantibus ob peccatũ originale à Deo certo decretõ deſtinatam) *propter miſericordiam ſuam & meritum Chriſti*, idque etiam abſque externo remedio. Vide Iacobi Gretſeri digreſſ.2. contra Hunn.

XVII. Et quam rationis plenum eſt illud Hunnij pag.30. *Ratio cæca eſt*. Tua ſcilicet, mi Hunni, qui qua etiam ex parte optimè vides, nihil vides. Vid. cap. 13.

XIIX. Sed bene eſt, quod hanc ſuã abſurditatẽ ipſemet Hunnius redarguit, ad ipſam rationẽ, ſed ſine ratione cõfugere coact⁹ infra, cũ ait: *Ipſa ratio hoc euincit*. pag. 57. Et quomodo euincit, ſi cæca eſt? Exam. Hunn. Relat. cap. 10.

XIX. Apertum mendacium eſt illud Hunnij: *Non eſt Catholica, ſed falſa fides*, quod infantes, qui ſine baptiſmo diſcedunt, non ſaluentur. Quod turpiſſimum mendacium luculenter redarguit Auguſtinus, vt in Exam. Hunn. Relat. oſtendimus. Auguſt. lib. 3. de orig. anim. cap. 9. epiſt. 20. ad Hieron. Cap. 6. abſurd. 5.

XX. Nec illud mẽdacij crimine vacat, quãdo citata pag. 31. ait: *Nihil nobis cũm Caluinianis cõmune*, cũ haud magna differentia, & fundamentũ, & cõcluſio in hac re vtriſq; cõmunia ſint, de quo ſupra.

XXI. Et quam pulchra eſt illa ratio Hunnij, pag. 31. *Nos conſolamur parentes in noſtris Eccleſijs promiſſione Euangelij*. Gen. 16. & Ioan. 17. *Quidquid petieritis* &c. Si ita libet conſolari, cur non pleniore ſolatio omnibus omnino ſine baptiſmo decedentibus, imo etiam ipſis damnatis ſalutem pollicemini?

XXII. Pag. 17. *Sub Papatu*, inquit Hunnius, *ex apparitionibus animarum exortũ eſt purgatorium*, quod eſt craſſiſſimum mendacium: quaſi vero ſecundus liber Machab. in cuius cap. 12. ipſiſmet hæreticis fatentibus purgatorium aſſeritur, vt illa veteris inſtrumenti teſtimonia pro hac re taceam, ſub Papatu primum conſcriptus ſit.

XXIII. Pag. 33. Iacob. Hailbrõnerus explicans, quid ſit ſedere in cathedra Moſis, ait eſſe; *ſcripta Moſis docere*. eo ſcilicet modo quo ea nunc etiã à Chriſtianis Theologis docẽtur. Abſurdiſſime. Nã ſi hoc ita eſt, ergo Prædicantes adhuc in cathedra Moſis ſedent, quando Pentateuchũ Moſis explicant. Et quid ni? cũ *cathedra Moſis*, juxta Hunnium, *ſit æterna*.

XXIV.

Digitized by Google

XXIV. Non eſt etiam hoc loco prætermittendum mendaciũ Iacobi Hailbronneri cum pag. 34. & 50. à D. Gretſero dictum eſſe refert, Chriſtum, dum fermentum Phariſæorum cauere iuſſit, eos caueri iuſſiſſe *tantum ratione morum, non ratione doctrinæ.* De qua re vide etiam Gretſerum dig. 4. contra Hunn. atque Exam. Hunn. Relat. cap. 10.

XXV. *Paradoxum eſſe,* ait Iacobus Heilbronnerus pag. 35. *dicere ex illo dicto Chriſti ad Epulonem colligi non poſſe, ſcripturam eſſe vnicã normam.* Sed hanc conſequentiam ſtultiſſimam eſſe, oſtendit Iacob. Gretſ. in Reſponſo ad theſes Hunn. c. 11. Plura alibi.

XXVI. *Dicitur* (apud Malach. inquit Iacob. Hailbronnerus ibid.) *quod* (ſacerdotes) *in ſcientia* (vt habet Lauingana Protocolli editio; ſiue vt Monacenſis habet, *in ſententia*) *& lege, hoc eſt, in doctrina & fide errarint, ac populum ſeduxerint.* Quod eſt mendacium, cum apud Malach. nuſquam legantur illa verba, prout ab Hailbronn. citantur; ſacerdotes videlicet in *ſcientia & lege erraſſe*; ſed ſolummodo dicitur: *ſcandalizaſtis plurimos in lege.* Quod ad malum exemplum referendum. Hailbron. Crimen falſi in Spiritum ſanctum. Malach. 2.

XXVII. Quam belle conuenit illud Iac. Hailbronneri pag. 33. *Scribas & Phariſæos iuſſit Chriſtus non ſimpliciter audire, ſed QVANDO ſedebant in cathedra Moſis,* cum illo Hunnij pag 35. *Scribæ & Phariſæi, DVM adhuc ſedebant in cathedra Moſis, falſam ſententiã tulerunt.* Et quid ſibi vult, Hunni, illud, *adhuc,* an non tuam Moſis *æternam cathedram* occultè deſtruit?

XXIIX. Fædiſſimum abſurdum eſt illud Iac. Hailbronneri pag. 38. *Aaron tanquam ſummus ſacerdos à Deo conſtitutus, rogatus erat* (à populo) *vt in diuiturna illa Moſis abſentia cultum aliquem conſtitueret, quo diutius carere non poſſent?* Ita ne *rogatus* fuit? non coactus? Ita ne *cultum aliquem?* non determinate cultum idololatricum? Videat quæſo Lector cap. 32. Exod. & caput 11. Exam. Hunn. Relat. Exod. 32.

XXIX. Et quam ſcitum eſt illud eiuſdem pagin. 39. cum ait: *Exod. 28. legimus ſummum ſacerdotium Aaroni fuiſſe commendatũ,* cum tamen ſolum illic legamus à Deo mandatum Moſi, vt à mõte digreſſus Aaronem initiaret.

Digitized by Google

XXX. At quid illud, quod pag. 38. ait idem Heilbronnerus: *Ibi* (Exod: 32.) *totum negotium potiſſimum Aaroni tribuitur, ideo a fratre arguitur: tu fuiſti auctor huius peccati*; quæ verba poſtrema non aliter accipi poſſunt, quam quod ab Heilbronnero tanquam ſcripturæ verba ſint adducta, cum tamen in tota ſcriptura nuſquam habeantur. quocirca etiam hoc execrabile falſi crimen eſt in ſpiritum ſanctum.

Hailb. Crimen. falſi in S. S.

XXXI. Nec illud Hunnij hoc loco prętermittendum eſt p. 42. *Nos ſuo loco probamus & laudamus dialecticā & logicas præceptiones, & vſurpamus illas quantum ſatis eſt* (noſtro ſcilicet iudicio) *ad rerū explicationem.*

XXXII. Et quorſum illud eiuſdem pag. 43. *Ergone præferenda eſt accidentalis differentia eſſentiali?*

XXXIII. Rurſus quam impudenter falſum eſt Heilbronneri dictum pag. 43. *Domini conati ſunt Aaronem excuſare, quod non ſpōte errarit, ſed coactus, cum tamen ex textu erroris ſint conuicti.* Videat Lector ſcripturam & cap. 11. mei Exam. & hominis impudentiam obſtupeſcat.

Exod 32.

XXXIV. Sed quid noſter Moſaicus Doctor Hunnius de Moſaico ſacerdotio? *Paulus Actor.* 23. (infit) *agnouit adhuc durantem auctoritatem & poteſtatem Ananiæ ſummi Pontificis.* pag. 53. Itane vero Hunni poſt mortem Chriſti? Paulus agnouit?

XXXV. Verum quam belle prodigioſum hoc dictum ſuū Hūnius iugulat, ſibique adeo contradicit pag. 52. *Tum* inquit, *cum Chriſtus ſeſe in ara crucis obtulit & clamauit; conſummatum eſt, & velum templi ſciſſum, expirauit illud ſacerdotium & antiquum teſtamentum abrogatum.* Itane vero expirauit Hunni? & poſt iterum reuixit? Mirabor, ſi thaumaturgum te nemo appellitet.

XXXVI. Imperita eſt illa logomachia Iac. Hailbronneri, qua noſtrū illud reſponſum: Pontifices erraſſe, vt priuatos homines, non vt Pontifices, refellere cupiens dicebat pag. 55. *Eſt mera logomachia.* Ita nimirum illi logomachia quoque videri debebit, illud, quando inter doctrinā & mores adeo diligenter diſtinguens aiebat Chriſtus: *ſuper cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite, ſecundum opera vero*

Matth. 23.

Digitized by Google

ra vero eorum nolite facere: tanquam ſi apertè dicat: in his errare poſſunt, vt homines; in illis aliquid publica auctoritate definiendo errare non poſſunt, vt ſacerdotes.

XXXVII. Nec magis ſcitum eſt illud eiuſdem ibid: *Non quaeritur, an errarit* Vrias *vt ſacerdos, ſed an fuerit eo tempore Sacerdos.* Erras mi Prædicans: nam quæritur an ne ſanũ caput tunc habueris.

XXXIIX. Falſum eſt illud eiuſdem Hailbronneri pag. 65. quãdo ait *non fuiſſe creditũ* (à populo idololatrico) *vitulos illos* (à Hieroboam erectos. 3. Reg. 12.) *reuera fuiſſe Deos.* Quaſi videlicet populus in illis vitulis Deum verum creatorẽ cæli & terræ, non idolum pro vero Deo coluerit. Vid. Gregor. de Val. lib. 1. de idololatria cap. 5.

XXXIX. AEquè ineptum figmentum eſt illud, quo Prædicans ſuum illud pronunciatum conatur probare ex verbis Hieroboam, quæ ipſe ſic recitat: *Hi ſunt dij tui Iuda, qui te eduxerunt de terra Ægypti,* cum vel ex hoc ipſo loco contrarium luculentiſſime probari poſſit. Quid enim demonſtrat ea vox, *Hi ſunt,* an non ipſos vitulos? an non ergo ipſis vitulis, Dei qui eos de AEgypto eduxerat, nomen honoremque tranſcripſit? Et quid illa eiuſdem capitis verba? *Ibat populus ad adorandum vitulum.* Et infra: *Vt immolaret vitulis quos fabricatus fuerat.* Et rurſus cap. 14. *Feciſti tibi Deos alienos & conflatiles &c.* Nonne hæc omnia figmentum illud euertunt? 3. Reg. 12.

XL. Sed bene eſt, quod & hîc Deus voluit Iac. Hailbronnerũ non impunè ferre illam ſcripturæ tam violentam & impudentem interpretationem, quin & ipſum quoque textum ſcripturæ ad maiorem eius ignominiam corrumpi ab ipſo permitteret. Cum enim in ſcriptura legamus: *Ecce dij tui ISRAEL,* ipſe pro, *Iſrael* ſuppoſuit *Iuda,* his verbis: *Ecce dij tui Iuda,* quod non ſolum à verbis, ſed etiam à ſententiæ veritate eſt alieniſſimum, cum ad *Iſrael* tantum, hoc eſt ad decem tribus, non ad *Iuda*, cuius Rex erat Roboam, hæc verba dixerit Hieroboam, vt patet ex cit. cap. 11. & 12. Igitur & hoc eſt crimen falſi in Spiritum ſanctum. Heilb. crimen falſ. in S.S.

XLI. Rurſus turpiſſimè falſum eſt, quod ait Iac. Hailbrõnerus, ibid. *Hieroboam Rex Iſraelitarum præter & extra Dei ſcriptum verbũ nouos cultus in Dan & Bethel inſtituit, nõ ſine ſpecioſo prætextu,* &c.

Itané vaniſſimè Prædicans, ſolummodo ais turpiſſimam illam idololatriam fuiſſe *præter & extra Dei verbum inſtitutam?* nec abſque *ſpecioſo prætextu?*

XLII. Nec à falſi crimine in ſpiritum ſanctum multum abeſt illud eiuſdem Hailbronneri pag. 66. cum ait: *Gedeon dux Iſraelitarū diuinitus excitatus, Iudic. 8. v. 27. bona intentione ex præda aurea confecit Ephod veſtem ſacerdotalem in honorem Dei, qui victoriam clementer largitus fuerat. Id vero ceſſit Gedeoni & omni domui eius in ruinam &c.* Falſiſſimum & contra ſcripturam, quaſi I D præciſe quod Prædicans refert, ceſſerit Gedeoni & domui eius in ruinam. Non ID Prædicans, quod tu ais, ſed quod ex ſcriptura nequiter prætermiſiſti, quæ ſic habet: *Fecitq́ ex eo Gedeon Ephod, & poſuit*
Iudic. 8. *illud in ciuitate ſua Ephra, FORNICATVSQVE EST OMNIS ISRAEL in eo, & factum eſt Gedeoni, & omni domui eius in ruinam.* Ecce veram cauſam (fornicationē populi in Ephod) omiſit Prædicans, & falſam aſſignauit. Porro fornicationem illam fuiſſe Idololatriam, qua veſtis illa ſacerdotalis in cultu Baalim vſurpata fuerit, non obſcure ſcriptura ſignificat infra his verbis: *Poſtquam autem mortuus eſt Gedeon, auerſi ſunt filij Iſrael, & fornicati ſunt in Baalim.* Ergo ne Iacobe adeo *tentauit Satanas cor tuum mentiri te ſpiri-*
Actor. 5. *tui Sancto, & fraudare de verbis & ſententia ſcripturæ?*

XLIII. Sed rurſus mentitur in Spiritum ſanctum Iacob. Hailbronnerus, cum velut ſcripturæ ſententiam referens, ait, matrem Michæ Iudic. 17. in conficiendo ſculptili *male & idololatrice* feciſ-
Hailbron. crim. falſ. in S. S. ſe, *quia nullum habuerit ea de re expreſſum mandatum diuinum.* Abſurdiſſimū & multis modis falſiſſimū, cum conſtet, nō hanc fuiſſe
Iud. 17. cauſam, cur male & idololatricè fecerit; ſed quia non vno modo expreſſum mandatum diuinum violauit. Primo quidem illud, de non faciendo ſculptili neque idolo ad cultum. Exod. 20. Leuit. 26. Deut. 5. Secundo illud Deut. 12. ne ſacrificia niſi in loco à Deo cōſtituto peragerentur. Taceo, quod Michas etiā in eo peccauit, cōtra mandatū Dei, Num. 3. &c. quòd aliquem ex filiis ſuis deſignauit ſacerdotem, cum ipſe tamen ex tribu Ephraim eſſet, non Leui. Nec libet hìc cum Prædicante cōtendere, de illis verbis mulieris, ſacrificaui & voui *hoc argentum Domino,* quæ ipſe quidē ad verum Deū referri aſſerit, cum tamen & cōmunior, & longe probabili-

Digitized by Google

or ſententia Doctorum hæc ipſa de idolo (quod quidem pro Deo vero *Jehoua* colebat idololatrica mulier, vt alias quoque de vitulo fecerant Iſraelitæ Exod. 32.) interpretetur.

XLIV. Falſiſſimum eſt, quod ibid. ait Iacob. Hailbronner: Saulem oues & boues optimos ſeruando ex cæde Amalecitarũ 1. Reg. 15. *peccaſſe non tam contra verbum dictum, quam ſcriptum de Amalecitarum exſtirpatione Exod. 17.* Mendacium apertiſſimũ. Quid enim in toto cap. Exod. 17. legitur, quod vel ſimilitudinẽ alicuius præcepti habeat Saulẽ obligantis ad occidendas oues & boues Amalech. Legimus ibi quidem promiſſionem Dei de Amalech delendo: *Delebo memoriam Amalech ſub cælo.* Et infra Moſes hac promiſſione lætus ait: *Bellum Domini erit contra Amalech, à generatione in generationem.* Sed quid promiſſioni ad præceptum? & præſertim tali promiſsioni de memoria Amalech delenda? non de bobus & ouibus Amelech occidendis facta? quam etiã an Deus per ſe immediatè, an per homines implere vellet, nullo ſigno explicauit? Non igitur ſcriptum mandatum Dei Exod. 17. ſed dictũ (etſi quidem poſtea deſcriptum 1. Reg. 15.) in ea re violauit Saul. Minus abſurdus fuiſſet Prædicans, ſi locum illum Deut. 25. adduxiſſet, vbi Deus expreſsè mãdat deleri Amalec. *Delebis inquit nomen eius ſub cælo:* quanquam etiam tunc abſurdus fuiſſet, cum nec hic quidem iubeat Deus, oues & boues Amalec delere. Hailb. crim. falſ. in S. S. Exod. 17.

XLV. Peſsimum etiam falſi crimen eſt contra eundem Spiritum ſanctum, quando ait idem Hailbronnerus ibid: *Judæi* IPSUM DEUM (verum) *vocabant Baalim Oſe. 2. v. 6.* Vbi de *Baalim* loquitur Prædicans, cuius idololatricus cultus ſæpius fuerat Iudæis exprobratus 2. Paralip. 13. Hiere. 2. Falſiſſimũ autẽ eſt, de hoc eſſe ſermonẽ in citato Oſeæ loco, cui⁹ hæc ſunt verba: *Et erit in die illa ait Dõinus: vocabit me vir meus, & nõ vocabit me vltra Baali,* prout nõ ſolum hebræus textus habet, ſed etiã latinus vulgatæ editionis Romanæ, etſi in quibuſdã latinis editionib⁹ corrupte legatur *Baalim.* Quo loco *Baali* (eodẽ modo explicandũ eſt illud corruptũ, *Baalim*) eſt nomẽ hebraicũ appellatiuũ cum affixo, & idẽ ſignificat, quod *Dominus meus,* aut (quæ ſignificatio tritiſſima eſt) *vir meus.* Priore acceptione ſenſus eſt: Illo tempore nõ amplius timebit me populus Hailb. falſ. crim. in S. S. Oſe. 2.

pulus meus, *vt Dominum*, ſed amabit, *vt virum* ſuum: Poſteriore acceptione hic ſenſus efficitur: Adeo memoriam idolorum *Baalim* deteſtabitur populus meus, vt quanquam vtraq; vox hebraica *Iſchi* & *Baali* idem (virum ſcilicet) ſignificet ac proinde quoad ſenſum de me rectè alioqui dici poſſet, non ſit tamen in mei cõpellatione vocem *Baali*, propter ambiguitatẽ & ſimilitudinẽ ſoni, quam cum *Baalim* idolis gentium habet, vſurpaturus; vt optime explicauit S. Hieron. in comment. eius loci, ſed potius illam vocem *Iſchi*. *&c*.

XLVI. Falſum quoque eſt, quod ibid. aſſerit idem Hailbronnerus: *Iudaos, quia in excelſis Domino Deo ſuo immolarent, 2. Paral. 23. à Prophetis fornicationis, adulterij, atque idololatria reos agi.* Quod de idololatria dicit falſiſſimum eſt, nec vnquam ab eo probabitur, ſi vel totam ſcripturam percurrat, quin in ipſo conatu nouũ denuo & turpiſſimum falſum procudat. 2. Paral. 23.

XLVII. Falſum itidem & ſeipſum iugulans falſum eſt, cum ibidem ait: Iudæos in excelſis Deo vero immolantes reprehendi *quia ſine expreſſo Dei mandato illud eſſet factum, qui vno tantum in loco ſacrificia offerri iuſſerat. Deut. 12.* Si enim, quod res eſt, contra expreſſimum Dei mandatum Deut. 12. peccârunt, quomodo ideo ſunt reprehenſi quia id SINE expreſſo Dei mandato fecerint. Atque hæc quidem decem abſurdiſſima falſa, partim etiam crimina falſi vnus & idem Prædicans in vnica quadam ſua argumentatione vnius paginæ effudit, & quidẽ in probãda propoſitione illa, quæ nec ante, nec poſt in Colloquio negata erat, nec vlla omnino probatione indigebat: qua etiam de cauſa omnis illa probationis congeries, cum adiunctis tot abſurditatibus, à noſtris in Colloquio præterita, ſed iam commode euiſcerata eſt; vt vel hinc intelligat Lector, non tantum, quam aptè & quanto ſuo honore tot ſcripturas in Colloquio accumulârint Prædicantes, ſed etiã quales vniuerſim ſint diſputatores iſti, qui probando vnam propoſitionẽ veram, decem falſa & quidem turpiſſima falſa euomuerũt.

XLIIX. Falſiſſima eſt illa propoſitio Hunnij, pag. 68. *Quicunq; reprehenſi ſunt in ratione cultus, ideo ſunt reprehenſi, quia præter verbum Dei ſcriptum, traditiones non ſcriptas ſecuti ſunt; & nouos cul-*

tus

Digitized by Google

tus inſtituerunt. Fœdiſſimum plane abſurdum, quod ſexcentis ſcri-
pturę exemplis refutari queat. Quã enim traditioné non ſcriptam
ſequutus eſt, & quem nouum cultum inſtituerunt Nadab & Abiu, Num. 15.
dum contra legem Dei ignem alienum altari inferebant? aut ille,
qui contra legem die Sabbathi ligna colligebat? aut Achan cum
ex cupiditate contra Dei legem quippiam ex ſpolijs Hiericho ſibi Ioſue 7.
reſeruaret? aut filij Heli, dum ſacrificiorum cultum ſacrilegè per- 1. Reg. 2.
agerent, ſibique pro libidine optimas quaſque victimarum par-
tes contra legem Dei vſurparent? Errauerunt iſti in cultu, fateor;
ſed an ideò *nouos cultus inſtituerunt*? an ideo *traditionem* aliquam ſe-
cuti ſunt? an potius proprij iudicij temeritatem, & malè ſanæ
mentis libidinem? an nemo errare poteſt in cultu ſola omiſſione
abſque vllius noui cultus inſtitutione? an non etiam commiſſio-
ne, non quidem ex traditione aliqua, ſed proprio arbitratu contra
legem Dei cultum vſurpando? Neque vero minus inſulſum eſt il-
lud alterum eiuſdem Hunnij dictum, cum ibidem ait, *neminem vn-
quam reprehenſum eſſe, ex ijs, qui neglectis traditionibus non ſcriptis ſe-
cundum ſolum verbum ſcriptum tanquam vnicam normam, religionem
& cultum conformarunt*. Falſiſſimum eſt enim, neminem repre-
henſum, qui *traditionem non ſcriptam* intermitteret. Teſtis eſt Saul
acriter à Deo reprehenſus & punitus, quod contra præceptum Abſurd. Prædi. 44.
traditum, non ſcriptum, vt ſuperius oſtendimus, oues & boues o-
ptimos reſeruauit. Teſtis eſt etiam Propheta ille, quem ob viola- 3. Reg. 13.
tam traditam, non ſcriptam legem leo peremit, vt alia innumera
prætercam. Taceo, quod contradictionem implicat, aliquem ſe-
cundum verbum ſcriptum cultum inſtituere neglectis traditio-
nibus, cum ipſum verbum ſcriptum traditiones Eccleſiaſticas in
genere ſaltem præcipiat ſeruandas, de quo alibi. Vnde etiam colli-
gitur potius contrarium eius, quod Hunnius dixerat, eſſe verum:
nimirum, nullum vnquam fuiſſe laudatum, qui iuxta ſolum ver-
bum ſcriptum, omiſſis interim legitimis ſuæ Eccleſiæ, in qua ver-
ſabatur, traditionibus, cultum ac fidem ſuam conformarit. Cum
hoc, vt dixi, fieri non poſſit, ſed omnino contradictionem im-
plicet.

XLIX. Quam lepidum eſt autem illud artificium, & quam ex

imis Dialecticæ penetralibus deprompt ũ eſt, quod Hunnius pag. 73. & 74. miſerabilem illam propoſitionem maiorem ſibi præter opinionem negatam (*Qui reprehendit* &c.) ex eo probare conatus eſt, quod illius ſingulæ particulæ in ſcriptura cõtineantur. Ita profecto facile quis probauerit, Prædicantes eſſe Pſeudoprophetas, Antichriſti præcurſores, aſinos: ſingulæ enim voces in Scripturis reperiuntur.

L. Illud quoque Prædicantium cauſam mire deprimit & labefactat, quod præcipuum ſuæ cauſæ firmamentum poſitum ſe habere ſæpius indicârunt in illo dicto Deuter. 12. Non addes, neque detrahes &c. *vel* INPRIMIS *propter excluſiuam particulam* TANTVM, quæ tamen nec in hebraico, nec in græco textu extat. Sic ergo ſuum fundamentum, nolint velint, in latina vulgata editione conſtitutum habent, quam alioquin præ hebræa & græca contemnunt, ſed quam hæc ipſa nihil eos iuuet, ſatis in Colloquio dictum eſt.

Protoc. Monach. pag. 74.

Seſſ. 5. 6. 7. 8. Vid. etiam Exam. Hunn. Relat. cap. 12. & Apolog. Relat. cap. 4. & 6.

LI. Nec impudens illud mendacium Iac. Hailbronneri pag. 91. in Colloquio manifeſtiſſime euictum pag. 89. hîc ſilentio prætereundum eſt, cum diceret, me pridie ad ſuas ineptias reſpondere non potuiſſe. Hæc enim Prædicantica veritas mirificè Protocollum exornat.

LII. Falſum & centies à noſtris refutatum falſum eſt, quod tanto verborum ſtrepitu toties inculcauit Hunnius, præſertim pag. 103. verba Chriſti Matth. 26 *Bibite ex hoc omnes*, continere præceptum etiam laicis datum, de vtraq; ſpecie ſumenda, quod figmentum, vel vnicus Marcus redarguat, cap. 14. cum huius ſacramenti inſtituti hiſtoriam pertexens, & quaſi Matthæi verba explicans, ait: *Et biberunt ex eo omnes.* Qui omnes? Apoſtoli tunc præſentes. Vt taceam, Lutherum quoque & Melanchthonem non ſemel id Prædicantium commentum redarguiſſe, vt ignorare non poteſt Hunnius.

Matth. 26.

Marc. 14.

Vide den Lutheriſchen Wetterhan/ vnd zwogſtaltigen Luther. M. Conradi And.

LIII. Putidiſſimum quoque falſum eſt, quod toties etiam ventoſa garrulitate extra propoſitum iactabat Hunnius, cum prius falſum roboraturus diceret, loco citato: *Alias nulla prorſus cœna ſeu Euchariſtia eſſet inſtituta pro laicis*, Ineptiſſimum. Centies enim decla-

declararunt Catholici Doctores, aliud eſſe inſtitutionem ſacramenti, aliud præceptum. Neq; enim quia hoc aut illo modo inſtituit Chriſtus ſacramentum, ideo etiam conſequitur, eum quoque præcepiſſe hoc aut illo modo eſſe adminiſtrandum. Inſtituit Chriſtus ſacramentum ſub veſperam, & poſt cœnam, diſtribuit non ieiunis, nec niſi pedes lotis: anne ergo hæc in conſecratione aut diſtributione huius ſacramenti nobis quoq; ſeruanda præcepit? Inſtituit igitur quidem Chriſtus ſub vtraq; ſpecie ſacramentum, nec ab ea laicos excluſit: alias enim male feciſſet S. Paulus laicis eã ſub vtraq; ſpecie permittens, male quoq; olim feciſſet Eccleſia, in qua cõmuniter conſuetum fuiſſe, etiã laicis vtramq; ſpeciẽ porrigere, nemo negat; male etiãnum faceret Eccleſia, quæ ſubinde quibuſdam in terris pro ratione circumſtantiarũ permittit, aut ſaltẽ permittere poſſet laicis vtramq; ſpeciem: verum non ita pro laicis inſtituit, vt vellet etiã abſoluta volũtate, aut præcepto laicis vtramq; ſpeciem dari: ſicut nec ipſe Chriſtus, nec Apoſtoli, nec antiqua Eccleſia ſemper ſub vtraq; ſpecie ſacramentũ adminiſtrârunt. Quocirca rem hanc omnem Eccefię diſpoſitioni integram permiſit, vt pro ratione locorum & temporum, ꝙ aptius eſſe videretur ageret, ſicut etiã alia quædã circa hanc rem diſpoſitioni Eccleſiæ (quã *columnam & firmamentum veritatis* pronunciauit Apoſtolus) relicta eſſe agnouit S. Paulus 1. Cor. 11. Et hæc ac multo plura in hanc ſententiã nunquam apud noſtros legiſti, nunquam audiuiſti Hunni?

1. Cor. 11.

Luc 24. Actor. 2.

1. ad Timoth. 3. Vid Bellar. Tom. 2. cont. 3. lib. 4. cap. 20 &c. Greg. Val. lib. de legit. vſu Eucha. & tom. 4. de Euch. q. 8. pun. 5. &c.

LIV. Ineptum eſt etiam illud Hunnij pag. 112. Reſpondentem qui proferat aſſertionem vel diſtinctionem affirmatiuam, eamq; probare non conetur, *petere principium.* Videat Lector, quæ de hac re in Relat. de Colloq. par. 3. cap. 1. & in Exam. Hunn. Relat. cap. 8. diximus.

LV. Quid vero illud eſt Iacobi Hailbronneri pag. 124. cum ait: *Omnibus ſeculis quoſdam ex gentiliſmo ad religionem Iſraelitarum fuiſſe conuerſos, adeoq; ſecundum ſcriptum verbum Moſaicum religionem & cultus ſuos inſtituiſſe: etſi fortaſſe non omnes ſacramentum circumciſionis ſuſceperunt.* Quod abſurdiſſimum eſt, & contra apertam ſcripturam, qua conſtat, alienigenas niſi circumciſos ad præcipuum legis Moſaicæ cultum, nimirum oblationem & eſum agni

Digitized by Google

paſchalis, non fuiſſe admiſſos, vt patet Exod. 12. Quid, quod nec ad alia communia ſacrificia Hebræorum, neq; ad cultum in templo Hieroſolymitano iuxta legem peragendum admittebantur.

LVI. Mendacium turpe erat hoc Hailbronneri, cum pag. 126. diceret, me *limitationes & exceptiones circa obiecta loca* Deuteronomij *ne vno quidem verbo defendendas ſuſcepiſſe*, quod etiam redargui pag. 137.

LVII. Pag. 143. Notatu digna eſt illa notio petitionis principij, quando Hunnius à me monitus, vt probaret, quod probare debebat, ait: *Tu ludis, petendo principium*.

LVIII. Et quam in hiſtoria elegans eſt, quod Prædicantes in ſua farragine teſtimoniorum, quã multo ante Colloquiũ tempore tanto ſtudio congeſſerant, primo quodammodo verbo adeo turpiter impegerunt, Tertullianum appellantes *Epiſcopum Carthaginenſem*, contra omnem hiſtoriæ fidem: pag. 146. Quid, quòd ibidem eum vixiſſe referunt circa annum Chriſti 160. Irenæum verò circa annum 175. quem tamen ipſemet Hailbronnerus pag. 146. aſſerit antiquiorem Tertulliano.

LIX. Sed & Theophylactus vixiſſe ab eis refertur circa annum Chriſti 600. qui tamen ducentis quaſi annis poſtea primum natus eſt.

LX. Et quid illud, quod in iure canonico adeo probe verſati ſunt, vt Gratiani appendicem ad diſt. 19. cap. 7. vocarent *gloſſam Gregorij XIII.* pag. 170.

LXI. An vero & illud ad Hunnianam Dialecticam ſpectat, vt reſpondens in forma reſpondere iuſſus, exclamet: *Nos non tam turbulenter diſputabimus, vt heri*, pag. 203.

LXII. Quid? quod ad vnum & idem enthymema propoſitum tam egregrie conſentientia ſibi reſpondit. Primò quidem ait, *probandum eſſe, eandem eſſe formam gubernationis Eccleſiæ, quæ rerum publicarum*: deinde vero; *Hoc probes*, inquit, *quod præter legem ſcriptam alius quoque ſit conſtituendus Iudex viſibilis*. pag. 203. Sed quid miramur tanta eum vertigine actum fuiſſe, cum neſciret, quid ad propoſitum enthymema reſpondere deberet. *Tuum argumentum*, inquit, *eſt enthymema, in quo altera propoſitio occultatur, quam petimus*

compleri.

Digitized by Google

compleri, vt appareat, ad quid nobis reſpondendum ſit. Ibid. Vide quæ diximus in Exam. Hunn. Relat. cap. 5.

LXIII. Et qualis illa Scripturarum tractatio eſt? Chriſtus in Eccleſia eſt *vnus Princeps*, vndequaque ſcilicet abſolutam & independentem auctoritatem regendi habens. Ezech. 37. Vnus legiſlator, ſummus nimirum & ſupremus, qui nullum alium ſuperiorem habet Iacobi 4. *Vnus magiſter*, præter quem ſcilicet non eſt alius pari docendi auctoritate & peritia præditus, Matth. 23. Ergo etiam ſub Chriſto, & poſt Chriſtum, nullus eſt alius in terris vniuerſalis Paſtor? Legiſlator? Doctor? vicarius Chriſti? ſed cur non potius? Ergo in Eccleſia nullus omnino eſt Princeps, nullus legiſlator, nullus Magiſter, atque adeo Prædicantes nec Magiſtri ſunt, nec Doctores, ſed rudes laici.

LXIV. Quid? quòd Hunnius etiam hîc falſi crimen committit in Spiritum ſanctum, dum Chriſto hæc verba tribuit Matth. 23. *Nolite vobis vocare alium Magiſtrum in terra; vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus:* Cum Chriſtus ſolummodo dicat: *Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus eſt enim Magiſter veſter.* Et infra: *Nec vocemini Magiſtri, quia Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus*, &c. non prohibens ſcilicet, ne quis *alium*, præter Chriſtum Magiſtrum appellet, ſed tantum ne quis per ambitionem pro *ſeipſo* eiuſmodi honorum titulos ambiat. Hunn. falſ. crim. in Sp. S.

LXV. Falſiſſimum eſt illud Hunnij dictum pag. 209. *Tempore Regis Achaz, nullum fuiſſe in terris miniſterium publicum per omnia purum & infallibile.* Primò enim miniſterium circumciſionis in honorem Dei adhiberi conſuetum, nuſquam abrogatum legimus. Deinde miniſterium publicum ac infallibile veræ doctrinæ & prædicationis in diuinis Prophetis, ſi vnquam alias, tunc maximè viguit. Floruerunt enim circa tempus illud eximij quidam ac ſanctiſſimi Prophetæ, vt Oſeas, Iſaias, Amos, Michæas, Ionas, Oded ſiue Obed, vt ex ſacra hiſtoria conſtat. Iſa. 8. Oſe. 1. 2. Paralip. 28.

LXVI. Ob eandem cauſam falſum eſt etiam, quod ibidem ait Hunnius, eo tempore etiam *in regno Iuda miniſterium, à quo publicus exercebatur cultus, fuiſſe contaminatum, verumq́; cultum abrogatum.* Vt interim taceam, quod procul dubio pij, & veræ Eccleſiæ

Digitized by Google

membra (qualia etiam tunc ſuperfuiſſe Hunnius ipſe fatetur) Sabbatha, cæteraſque Feſtiuitates, quantum in ſe erat, ſtudioſè obſeruarunt.

LXVII. Falſiſſimum quoq; eſt dictum Hunnij ibidē, quod, ſi totum miniſterium publicum tum fuiſſet contaminatum, & verus Dei cultus abrogatus, nihilominus *manſiſſet aliqua Eccleſia*; vbi de vera Eccleſia loquitur, quæ tamen ſine publico aliquo miniſterio, & *cultu vero* conſiſtere non poteſt. Accedit quod exempla illa Achaz, & Achab, ac Iezabelis loco citato alieniſſimè à ſcopo fuerunt producta. Non enim quæſtio erat, an Superiorum decretis manifeſtè impijs obtemperandum eſſet: Sed an in dubio, cum non conſtat impia eſſe, ſubditus, abiecto dubio, Superiorum ſententiæ, ſuam conformare non debeat.

LXVIII. Abſurdiſſimum quoq; falſum eſt, quod ait Hunnius pag. 216. Berœenſes *non dubitantes de auctoritate* (Apoſtolica) *Pauli* nihilominus in eius doctrinam inquiſiuiſſe, eamq; ſub examen vocaſſe. Ita nimirum Prædicantes, pro ſua erga Apoſtolos obſeruantia, ſub examen vocari Apoſtololicam doctrinam fas eſſe putant.

LXIX. Sed & hoc turpiſſimum falſum eſt, quod ait Hunnius, falſum committere eum, qui dicat, Berœenſes, tunc quando *ſcrutabantur ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent* (quomodocunque tandem hoc accipiatur) nondum cognouiſſe auctoritatem Apoſtolicam S. Pauli; ac proinde tunc necdum fideles fuiſſe. Id enim non modo docent Auctores omnibus Prædicantibus meliores, ſed etiam Scriptura apertè ſignificat, non ſolum dum ait, eos *quotidie ſcrutatos Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent*; quæ ſane verba dubitationem circa prædicationem factam innuunt: ſed etiam cum poſtea ſubiungit: *Et multi crediderunt ex eis.* Ex quibus verbis duplex ſumitur argumentum, ad probandum eos, cum adhuc Scripturas ſcrutarentur, nondum credidiſſe. Primum eſt, quia ipſo verborum ordine ſignificatur, eos poſtea primum, audita videlicet concione Pauli, & perluſtratis iam ſcripturis, credidiſſe: qui rerum ordo ex particula illatiua, quæ eſt in græco textu, euidentius patet. Sic enim habet, πολλοὶ μὲν οὖν ἐξ αὐτῶν ἐπίστευσαν, *Multi quidem igitur ex ipſis crediderunt.* Alterum eſt, Quia cum prius gene-

Digitized by Google

generatim ſine reſtrictione dictum fuiſſet, *Berœenſes ſuſcepiſſe verbum cum omni auiditate quotidie ſcrutantes Scripturas*; poſtea particulatim ſubiungitur, *quoſdam* (non omnes) *ex eis crediḍiſſe*. Vnde euidens eſt, illud: *Suſceperunt verbum cum omni auiditate*, non ſignificare ſuſceptionem fidei, ſed ſolum ſuſceptionem prædicationis fidei, quia nimirum auidè & ſtudioſè audierint verbum & prædicationem fidei.

LXX. Sed quam pium eſt, quod ait Hunnius ead. pag. 216. Satanam ſubinde ſcrupulos dubitationis injcere hominibus, *exemplum eſſe Mariam. Luc. 1. qua etſi non dubitarit de miſſione Angeli, nihilominus, vt fidem ſuam confirmaret, aſcendens in Iudaam* (ad Eliſabetham) *explorat rem*. Itane vero explorat? Sed quid S. Ambroſius? *Vbi hoc audiuit Maria*, inquit, *non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuncio, nec quaſi dubitans de exemplo, ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina præ gaudio in montana perrexit.* &c. Luc. 1. Lib. 2. in Luc.

LXXI. Ineptum eſt, quod Hunnius pag. 217. probaturus ſubditum non eſſe ſecurum, ſi in re dubia (depoſito dubio) acquieſcat ſententiæ ſui legitimi magiſtratus, objiciebat locum Ezechielis 33. *Ipſe peribit in peccatis ſuis, ego vero eius ſanguinem de manu tua requiram*: cum conſtet hîc ſermonem eſſe de ſubditis impijs, qui cum manifeſta peccata perpetrent, à Superioribus non corripiuntur. Ezech. 33.

LXXII. Abſurdiſſimum eſt dicere. 1. Reg. 22. miniſtros Saulis non exiſtimaſſe, Saulis iuſſionem de occidendis Sacerdotibus fuiſſe impiam; ſed, vt ait Hunnius pag. 218. *rem eis adhuc fuiſſe dubiam*: quaſi vero eos latere potuerit, Saulem ſiniſtro affectu perſequi Dauidem: quaſi vero compertum non habuerint, formam iudicialis proceſſus contra Achimelech & cæteros ſacerdotes ab omni lege & ratione fuiſſe alienam: quaſi vero non manifeſte iniquiſſima fuerit ſententia, qua Saul non ſolum Achimelech, ſed etiam omnem domum patris eius morti addixit. 1. Reg. 22.

LXXIII. Nefarium falſi crimen in Spiritum ſanctum eſt, cum Hunnius Christo hæc verba, Ioan. 5. aut 12. tribuit. pag. 223. Non ego, *ſed ſermo meus iudicabit vos in nouiſſimo die, de quo ſupra.* Hunn. falſ. crim. in S. S. Cap. 10. abſurd. 33.

LXXIV. Falſi

LXXIV. Falſi quoq; crimen in Spiritum ſanctum eſt eiuſdem Hunnij pag. 224. cum ait: *Chriſtus eo loco (Ioan. 5. 12.) Iudicem nominat inter ſe & Iudaos Moſen:* cum tamen Ioan. 5. ſolum habeatur: *Eſt qui accuſat vos Moſes*; cap. autem 12. de Moſe ſiue accuſatore, ſiue Iudice, nihil penitus habeatur.

Hunn. falſ. crim. in S. S.
Ioan. 5. 12.

LXXV. Iudaica blaſphemia eſt Iac. Hailbronneri, cum ait pag. 259. *Chriſtum & Apoſtolos vſurpaſſe ſcripta Moſis & Prophetarum pro vnica norma Religionis.* Nihil ergo credendum, nihil obſeruādum tradiderunt Chriſtus & Apoſtoli, niſi ſcriptum in Moſe & Prophetis? Vbi ergo nouæ legis Sacramenta? vbi ſcripta canonica nouæ legis omnia & ſingula? vbi cætera Euangelica præcepta? An fortaſſe hæc credenda aut obſeruanda non ſunt?

LXXVI. Ineptiſſima conſequentia eſt eiuſdem Hailbronneri ibid. Act. 26. Paulus teſtatur, ſe nihil dixiſſe extra ea, quæ Prophetæ & Moſes dixerint (nimirum, vt ipſe Paulus ſpecificans ait: *Si paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorum lumen annunciaturus eſt populo & gentibus:*) Ergo ſcripta Moſis & Prophetarum habuit pro vnica norma.

Actor. 26.

LXXVII. Impie falſum eſt Hunnij dictum, quando pag. 226. ait, *eſſe hæreticum, qui ex celebritate paſchatis facit ſingularem cultum, eiq; opinionem neceſſitatis attribuit.*

LXXVIII. Calumnioſum & apertiſſimum mendacium eſt Iac. Hailbronneri pag. 227. cum ait: *Quare Patres illi* (Auguſtinus, Epiphanius, Tertullianus) *retulerint Quartadecimanos inter hæreticos eſſe iam recitatum:* Significans ſcilicet, eam ipſam eſſe cauſam, quam paulo ante ex Hunnio retulimus. Quod mendacium tamen ipſemet mox euertit cum ait: *Auguſtino, Epiphanio, Tertulliano oppono Irenæum*, &c. Si enim Patres illi cum Prædicantibus faciebant, & illi eam hæreſeos cauſam in Quartadecimanis aſſignabant, quam Prædicantes in Colloquio attulerunt, vt quid eis opponitur Irenæus?

LXXIX. Impia & abſurda eſt argumentatio Hunnij, pag. 228. *Si feſta, quæ à Deo ipſo fuerant inſtituta in veteri teſtamento, non licuit amplius* (poſtquam ſcilicet à Deo fuerant etiam abrogata) *ſub conſcientiæ ratione in nouo teſtamento obſeruare, quantò minus licet, quæ*

non

Digitized by Google

non Deus, ſed Eccleſia introduxit, & non vera, ſed falſa (loquitur Hunnius de Eccleſia Catholica, cui præfuit Victor Pontifex ante annos plus mille quadringentos) *ſub ratione conſcientiæ obſeruare:* quidquid dicat Chriſtus Matth. 18. ſi Eccleſiam non audierit &c.

LXXX. Vbi ſimul impie falſum eſt, quod ait, *non veram ſed falſam Eccleſiam* fuiſſe, quæ introduxerit feſtum Paſchatis (de hoc enim ſermo erat) diȩ Dominico celebrandum. Vnde ſecundum Hunnium aſſerendum eſt, iam ante annos plus mille quadringentos, veram Eccleſiam defeciſſe, quandoquidem cum Victore Pontifice, eoque poſtea ſancto Martyre, omnes orthodoxi, nec Irenæo quidem excepto, in fide conſentiebant.

LXXXI. Pag. 228. & 229. negat Hunnius propoſitionem minorem, cum antea negaſſet maiorem. Adeò ſcilicet Hunnio præ vertigine nictabant oculi.

LXXXII. Abſurdiſſimum falſum eſt illud Hunnij, pag. 230. *Qui celebrationem Paſchatis ita obtrudit, quaſi ſit neceſſarium obſeruare ſub ratione cultus, is ſit hæreticus.*

LXXXIII. Mendacium turpiſſimum eſt Iac. Hailbronneri, cum ait pag. 231. *Definitionem Victoris* (de celebratione Paſchatis) *non fuiſſe Eccleſiæ, ſed SOLIVS Victoris.* Audiamus Euſebium: *Concilia,* inquit, *& conuentus Epiſcoporum in vnum cogebantur, & OMNES VNA ſententia decretum Eccleſiaſticum, nempe vt non alio die aliquando, quam Dominico myſterium Domini reſurrectionis à mortuis celebraretur, & vt in hoc ſolo jeiuniorum, quæ circiter paſcha fieri ſolent, finem faceremus, per litteras ad omnes Eccleſias ſcriptas ratum faciebant.* Et cum ſex Concilia & quidem in ijs etiam Romanæ Eccleſiæ cui Victor præerat, & Gallicanæ, cui Irenæus, recitaſſet, quibus idipſum decretum fuerit, addit: *Et alia deniq; aliorũ prope infinitorum, qui vno conſenſu, iudicioq; vno, eandem de illius feſti obſeruatione tulere ſententiam. Atque iſtorum omnium vna hæc, quam docuimus, conſentiens erat deciſio.* Ita Euſebius. An ergo de ſuo adeo ſplendido mendacio, quod tot teſtibus redarguitur, quot in illis ſex Conciliis præſentes erant Patres, erubeſcet Prædicans?

Mend. Hailbr.

Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 22.

LXXXIV. An non vero cum Scriptura ludit Hunnius, quando *è medio fieri* apud S. Paulũ. Theſſ. 2. idem illi ſignificare debet,

1. Theſ. 2.

Digitized by Google

quod *diminui, deprimi, debilitari?* pag. 247. & 251. Vide quæ dicta ſunt in Relat. de Colloq. par. 2. cap. 5. Plura in Apologetico Relat.

LXXXV. Et quã conſtans ſibi eſt Hunnius, cũ pag. 261. primo concedit *vigore teſtificationis hiſtoricæ* credendũ eſſe, *libros Apoſtolorum canonicos eſſe:* & paulo infra ait: *Quod epiſtola ad Romanos ſit ſacroſancta, canonica, & fidei regula, id non ex teſtificatione Eccleſiæ, ſed ex internis critirijs habemus.* &c. De qua re ſupra cap. 11.

LXXXVI. Quam pulchre autem diſtinguit illam propoſitionem Hunnius, pag. 264. *Is ſolum eſt hæreticus, qui negat articulum fidei:* quam negare non audebat, & tamen diſtinguendo re ipſa negabat.

LXXXVII. Falſum eſt, quod tanquam ex ſcriptura Matth. 28. euidens pronunciauit Iacobus Hailbronnerus pag. 262. *Christum* (eo loco) *non iuſſiſſe duntaxat eos baptizari, qui doceri poſſunt.* Et multo turpius, quod in eius rei confirmationem dixit Hunnius, μαθητεύσατε eo loco non ſignificare, *docete,* & poſſe aliquem fieri diſcipulum etiamſi doceri non poſſit, de quo ſupra cap. 10.

LXXXIIX. Anile delirium eſt illud Iac. Hailbronneri, pag. 374. *Si non euidenter ſcirem, & crederem, me efficaciter eſſe baptizatum, tunc dubitarem de Dei promiſſione.*

LXXXIX. Conſimile eſt, illud eiuſdem ibidem: *ſi Sacramentorum efficacia dependeret à fide aut infidelitate, à dignitate aut indignitate perſonæ adminiſtrantis, tunc de efficacia baptiſmi ſemper eſſet dubitandum; quia nobis non certò conſtat, qualis fuerit miniſtrantis intentio.* An ne ergo ſemper etiam dubitat Prædicans, quiſnam ſuus fuerit parens, aut quo loco terræ natus ſit, quia euidenter hac de re certus eſſe non poteſt.

XC. Abſurdiſſime falſum eſt, quod pag. 280. euomuit idem Prædicans: *Scriptura requirit, vt de ſui baptiſmi veritate & efficacia quiſque certus ſit euidenter.*

XCI. Non minus ineptit Hunnius, cum pag. 281. ait. *Si Zepora fidelis fuiſſet, tunc circumciſionem filij tanquã ex tabula fœderali (Gen. 17.) neceſſariam ad ſalutem minime indicaſſet differendem & impediendam.* Scilicet tabula illa fœderalis Gen. 17. iam tunc erat conſcripta.

Geneſ. 17.

XCII.

Digitized by Google

XCII. Et qualis illa argumentatio Hunnij pag. *273*. Infantes *regenerantur per baptiſmum:* ergo fidem infallibiliter concipiunt. Si 1. Cor. 12.
de actuali fide loquitur, inepta & abſurda: ſi de habituali, vera quidem eſt, ſed extra oleas.

XCIII. Nec melior eſt illa: *Oportet* (ſuppoſita ſcilicet hominum malitia) *hæreſes eſſe* 1. Corinth. 11. Ergo opus non eſt, talem extare in Eccleſia iudicem, vt quantum ſaltem eſt ex eius parte, & remota partium contumacia, finiantur & dirimantur controuerſiæ: In quem ſenſum voluit, aut certe debuit argumentari Hunnius pag. *297*.

XCIV. Et quam ridicula illa ſolutio Hunnij, pag. 300. *Prouocamus ad Protocollum, & D ISERTISSIME proteſtamur, hoc argumentum Aduerſarij non militare.* Notate vos dialectici hunc modum argumenta ſoluendi, cum alius forte non ſuccurrerit.

XCV. Turpis plane ſcripturarum deprauatio eſt illa Hunnij,
quando ex illo 1. Theſſal. 5. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*; & 1. Theſſal. 5.
1. Ioan. 4. *Probate ſpiritus, an ex Deo ſint*, probare nititur, pag. 304. etiam decreta ac definitiones Eccleſiæ examinari & in dubium vocari poſſe. Probare quidem iubemur ea, quæ aut nondum probata ſunt, aut num probata ſint, neſcimus. At quæ Eccleſiæ (quã
columnam & firmamentum veritatis pronunciauit Apoſtolus) ſen- 1. Timot. 3.
tentiâ probata ſunt, velle vlterius quaſi dubia probare & ſub examen vocare, non multo minor improbitas eſt, quam ipſius Chriſti aut Apoſtolorum doctrinam probare & examinare velle: iuxta Luc. 10.
illud Chriſti; *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit me ſpernit.*

XCVI. Sed quantus in lingua græca Grãmaticus eſt Hunnius, Rom. 9
qui pag. 321. adeo confidenter dicebat: ſi illud Roman. 9. *Qui eſt Deus benedictus ſuper omnia*, acciperetur tanquam nouæ periodi initium, atque ſic ad Deum Patrem referretur, futurum eſſe, *vt non congrueret grammatica, quod Bellarminus & alij veſtri ſolidè*, inquit, *demonſtrant.* Vtrumque falſum eſt, de quo in Exam. Hunn. Relat. cap. 21.

XCVII. Et quam obuiis vlnis excipienda eſt illa ab Hunnio, veluti ex tripode prolata ſententia, pag. 327. dum negan-

Digitized by Google

tes fabricatam à Schmidelino vbiquitatem damnat erroris circa fundamentum ſalutis ? Vide noſtrum Exam. Hunn. Relat. cap. 2. & 22.

XCIIX. Quam vero hæc Prædicantium dicta pulchre inter ſe conſentiunt. Pag. 339. fatentur, *multa eſſe in ſacris litteris obſcura*, quin etiam ad ſcripturam intelligendam *opus eſſe & Doctoribus, & dono Prophetiæ, ſeu interpretationis ſcripturæ:* & nihilominus aiunt, ipſam ſibi ad ſui explicationem, ſaltem quoad articulos, ſcitu neceſſarios, *natiuo lumine ſufficere.* pag. 359. Itané vero lumen illud ſeu Prophetiæ donum interpretibus ſcripturæ neceſſarium, non eſt aliud à natiuo lumine ſcripturæ? an nō ergo eſt in capite interpretis? an potius eſt innatum ſcripturæ? atque adeo quiſquis ſcripturam habet, lumen illud habet? an potius Prædicantes ne naturæ quidem lumen habent, dum adeo inſaniunt? et ſi obſcuritas eſt vitium ſcripturæ, vt alioqui dicunt, cur multa in ſacris litteris obſcura eſſe fatentur?

XCIX. Turpiſſime falſum eſt, quod Prædicantes pag. 365. reſpondent, Auguſtinum Serm. 191. de tempore cum ait; *Eccleſiæ regula, ſanctaq; Patrum traditio, atq; judicia in perpetuum firma, ſolidaq; permaneant:* non de non ſcriptis etiam traditionibus agere, cum illic Auguſtinus inter cæteras etiam hanc referat. *Nouum & vetus teſtamentum recipimus in illo librorum numero, quem ſancta Romanæ Eccleſiæ tradit auctoritas.* Vbi de traditione non ſcripta ſermonem eſſe, non ſolum ex re ipſa, ſed etiam ex verbis Auguſtini patet, ita vt qui hoc negat, plane quid dicat, neſciat.

Auguſt. Serm. 191. de temp.

C. Quin etiam in doctrina Aduerſariorum illud Hunnij dictum turpiſſimè falſum eſt, illa quæ Auguſtinus eodem loco recitat, velut ex Patrum traditione tenenda: *Credimus in Deum Patrem omnipotentem* & vna *cum ſequentibus ad vnum omnibus in ſacra ſcriptura expreſſis teſtimoniis fundata & comprehenſa extare.* Quod ſi ita eſt, fateri ergo neceſſe eſt Prædicantes, hæc quæ Auguſtinus illic quoq; recitat, expreſſis teſtimoniis in ſacra ſcriptura fundata eſſe.

I. ***Blaſphemiam eſſe, dicere impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſſe ſeruari.***

II. Er-

Digitized by Google

II. *Errorem eſſe, nullam in futuro meritorum diſtantiam cum Iouiniano ponere; cum Eccleſia credat præmia pro labore diuerſa, & è contrario pro modo delictorum, peccatorum quoq; eſſe ſupplicia.*

III. *Blaſphemiam dicere eos, qui nouo ſenſu aſſerere conantur*, (audiant hoc vbiquiſtæ) *à tempore acceptæ carnis omnia, quæ erant diuinitatis, in hominem demigraſſe, & rurſum quæ humanitatis erant, in Deum eſſe transfuſa, vt quod nulla vnquam hæreſis auſa eſt dicere, vincatur hac confuſione vtraque exinanita eſſe ſubſtantia, & Deitatis ſcilicet & humanitatis, & amiſſo proprio ſtatu, in aliud eſſe mutata.*

IV. *Hominem, ſi poſt baptiſmum lapſus fuerit, primo per reconciliationem, deinde per pœnitentiam poſſe ſaluari.* Hæcne ergo omnia & ſingula, quæ tanquam S.S. Patrum, & Eccleſiæ dogmata recenſuit Auguſtinus, & Catholici quidem magna obſeruantia recipiũt, vt ſcripturis maximè conſona, veſtro quoque iudicio in ſcriptura ſunt fundata, ô Prædicantes? Gratias habeo, ſi agnoſcitis; ſi negatis, vos ipſos mendacij arguitis. Pergite interim, ſi libet, *mirari*, cur hunc locum ad traditiones non ſcriptas *detorquere* (vt vobis loqui libuit) *auſi fuerimus*. Equidem veſtram cæcam impudentiã ſatis mirari non poſſum. Commendat S. Auguſtinus aliquando ſpeciatim traditiones Eccleſiæ ſeu ſcriptas, ſeu non ſcriptas; vtraque loca pro nobis faciunt, vtraque veſtrum errorem damnant: vtinam etiam emendent. Sed *quem Deus deſpexit, quis poteſt corrigere?* Protocol. Monac. pag 365. Eccleſ. 7.

Certe niſi in reprobum ſenſum dati eſſetis, nunquam id dictum vobis excidiſſet. *Nos ab Auguſtino hac in parte* (quoad fidem actualem infantium à nullo vnquam veterum cogitatam, & ante Lutherum iu Eccleſia prorſus inauditam) *liberè diſſentimus.* Itane liberè? vos ab Auguſtino? in re primum à vobis excogitata? quã ante vos in Eccleſia nemo ſomniauit vnquam? quam nulla ratio probat? nulla auctoritas munit? nullus ſcripturæ apex innuit? liberè diſſentitis? liberè ergo diſperitis. Protocol. Monac. pag. 363.

Sed abſit, ô ſeducta gens mortalium, vt adeo erga vos inimico ſim animo; abſit vt malim vos videre veſtro arbitrio pereuntes, quam in noſtra, Auguſtini, totiuſque Eccleſiæ vnione ſaluos: quin potius per Deum hortor & obteſtor omnes, vt ſi quem forte mo-

Digitized by Google

te moueat auctoritas, Auguſtino malit credere, quam Luthero, Eccleſiæ potius Catholicæ vniuerſali, antiquæ, tot viris clariſſimis, ſanctiſſimis, doctiſſimis nobili, quam Lutheranorum aut Caluiniſtarum, nulla antiquitate, amplitudine, ſanctitate, doctrina nullâ illuſtribus conuenticulis. Quod ſi vero, vt cum Auguſtino loquar, *auctoritatem ſcripturam omnibus præferendam ſequi vultis, eam ſequamini, quæ ab ipſius præſentia Chriſti temporibus per diſpenſationes Apoſtolorum, & certas ab eorum ſedibus* SVCCESSIONES EPISCOPORVM, *vſque ad hæc tempora toto orbe terrarum cuſtodita, commendata,* CLARIFICATA *peruenit.* Nam vt ait Irenæus: *Vbi chariſmata Dei poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem, apud quos eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſſio, & id quod eſt ſanum & irreprobabile conuerſationis, & inadulteratum, & incorruptibile ſermonis conſtat. Hi enim & eam, quæ eſt in vnum Deum, qui omnia fecit, fidem noſtram cuſtodiunt, & eam quæ eſt in filium Dei, dilectionem adaugent, qui tantas diſpoſitiones propter nos fecit, & ſcripturas* SINE PERICVLO NOBIS EXPONVNT, *neque Patriarchas exhonorantes, neque Prophetas contemnentes*

Auguſt. contra Fauſt. Manich. lib. 53. cap. 9.

Iren. lib. 4. c. 45.

LAVS DEO, ET DEIPARÆ VIRGINI, omnibuſque Sanctis.

FINIS.

Errata ſic corrigantur.

Columna 3. verſu 25. lege aliàs. 12. 2. à fin. 271. ſit. 15. in marg. lege: pag. 223. Col. 28. 17. contigit. Ibid. marg. lege. 228. col. 34. 6. à fin. obligatas. 43. 11. ſcriptæ. 44. 1. collocutores toties concesſerint ibid 11 minorem. ibid. v. vlt. faciant. 59. 26. quoquo. 64. 3. ſi tibi. 65. 24. debeat. 83. 1. tam. 86. 1. VII. ibid. 16. ob ſuam. 95. 30. nec hunc. 99. 20. obſtupeſcat. 102. 27. legis. 115. 23. accuſat. 124. 27. fuerit. 137. 21. non poſsit. 151. v. vlt. dele. concluſionem penitus. 167. v. penult. ſiue. 169. 21. cuipiam. ibid. 30. æternam. 179. 25. quam eam. 202. 18. Eccleſiæ.

Cætera leuiora Lector per ſe facile corriget.

Digitized by Google